Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Albert Wichgreve

M. Alberti Wichgrevi[i] Hamburgi[i] P. L. Cornelius Relegatus, sive Comoedia Nova, festivißime depingens Vitam Pseudostudiosorum; & continens Nonnullos Ritus Academicos in Germania : Acta anno Iubilaeo Rostochi[i] In Foro Latino

Nunc vero Emendatior secundum edita, cum Praefatione ad Lectorem, Rostochii: Rostochi[i]: Albertus: Ex officina Reusneriana, 1601 [erschienen] 1602

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757649904

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn757649904/phys_0001
DFG

Cq-2690 1.2
<R>

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757649904/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn757649904/phys_0003
DFG

M. ALBERTI WICHGREVI
Hamburgi P. L.

CORNELIUS RELEGATUS,

sive

COMOEDIA NOVA,

festivissimè depingens

VITAM PSEUDOSTUDIOSORUM;

& continens

NONNULLOS RITUS ACADEMICOS *in Germania.*

Acta anno Iubilæo
ROSTOCHI
IN FORO LATINO,

Nunc verò

Emendatior secundùm edita, cum Præfatione ad Lectorem.

Ex Bibliotheca Academiæ Rostochiensis

ROSTOCHI
Ex officinâ Reusneriânâ,
ANNO ∞ Io. CI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757649904/phys_0005
DFG

SENATUS HAMBURGENSIS.

ERICUS von der Fechte.
Joachimus Bekendorp.
Theodorus vom Holte.
Vincentius Moller.
} Consules.

Gulihelmus Mollerus, J. U. D. Syndicus.

VVarneboldus Schroder.
Reinholdus Walrave.
Joachimus Brandt.
Hermannus Moller.
Casparus Moller.
Petrus Bekeman.
Henricus von Sprekelsen.
DNS. Casparus Ankelman.
Henricus Germerß.
Henricus Silm.
Eberhardus Esichius.
Nicolaus Hanses.
Daniel von Eitzen.
Henricus Wichman.
Hieronymus Vögeler.
} Senatores.

Eberhardus Twestrenge.
Sebastianus von Bergen.
Georgius von der Fechte.
} J. U. L. & à Secretis.

MA-

MAGNIFICIS, CLARISSIMIS, Consultissimis & Amplissimis Viris, DOMINIS CONSVLIBVS, SYNDICO, SENATORIBVS ET à Secretis inclutæ urbis Hamburgi, Dominis Patronis debitâ observantiâ colendis, SALUTEM AB ALTISSIMO.

CUm supra aliquot menses, Viri Magnifici, clariss. consultissimi & Amplissimi, Orationem meam pro HOMVLLIS publicitus in nostro Agonisterio majore recitassem, eamque de consilio Superiorum, viris Strenuis, Nobilissimis, & Musarum autoribus, cultoribus, Domino Ioachimmo Bassevvitzio, Domino Davidi Bassevvitzio, & Domino Ioachimo Stralendorphio, dicare & consecrare decrevissem; lubuit simul in ipsâ dedicatione unâ atq; alterâ notâ subindicare; quidnam amplius in

Museo hoc studio & stadio molirer, quò Musarum amorem, quo Doctorum favorem mihi captarem, conciliarem. Opella me detinebat duplex: CORNELIVS RELEGATVS, & CENTVRIA PRIMA Anagrammatismorum. Ille quò tardius absolutus, eò properantius audet in lucem conspectumq; hominum prosilire. Causa haut levis. Hic enim hic ille est infaustus GENIVS, qui totum terrarum Orbem peragrans, senibus infinita parit dolorum examina, juvenibus creat infortunia, quorum species & formas nulla potest enumeratio definire. Hic quos semel occupat, cujuscunque etjam vel ætatis, vel conditionis, tàm arctè tenet, ut perpetuas & juges calamitates sustinere, adeoq; lacrumabilem vitam in extremâ sorte ducere cogantur. Harum molestiarum fontem & fomitem mediocri Orationis filo, & phrasi Comicâ, quam convenit ad familiarem & solutam Orationem quàm proximè accedere, in hac Pseudostudiosorum Comœdiâ adumbrare volui; cùm, ut industrij parentes, quos humani generis Servator ingenuis liberis fœcundavit, habeant, quo eos ipsos, si quando in exteras Academias amandare velint, instruant;

ent; tùm, ut ipsi veri Musarum Gratiarumq; alumni ex hoc speculo discant studiorum pestes longè averruncare. Hic enim meus præcipuus scopus fuit, & vicia hujus decurrentis seculi & mores, levi licet penicillo, delineare. Illa quidem, ut devitemus; Hos verò ut discamus; disseminemus. Vtrumq; si apud nonnullos saltem obtinuero, quid impedit, quò minus memet ipsum hâc fabula (absit verbis arrogantia, neq; ita gloriæ fame stimulor) veluti quâdam æternitate donem immortalis testificatione tituli.

Neque verò ego iccircò primus, quia optumus, sed optumus, quia primus ego, qui alijs tale argumentum exhibui, quod ipsi longè feliciori penna explicare & ornare callent. Novi enim hoc seculum, quàm ferax sit divinorum ingeniorum, inque primis vatum in numero.

Docent hoc multorum, quæ extant, fœturæ, testantur hoc recti censores, adplausores. Atque utinam illi omnes modo veræ Latinitatis ita studiosi, quemadmodum prisci illi nostri! Certaret certè, certaret hoc ævum cum superiori, nî nimiũ haut scio, quali Antiquitati indulgeret; nî nimium ad inanẽ oblectationẽ composito sermonis genere dissereret; idemtidemque

velut ex quibusdam Romanis haud Romanis arculis dicam vel oraculis accommodata colorandæ Orationi pigmenta, depromeret, exponeret, spargeret. Coërcenda ista obsoletarum & luxuriantium litterarum audacia. Nunc verò, non unus tantùm, sed innumeri offenduntur, quèis illud Mureti nostri Epigramma miseris, quod in saum Paulum *hoc modo adornavit.*

Quæ tu condideras inspexi carmina nuper,
Lectáq; sunt, fateor, terq; quaterq; mihi;
Nec tamen evalui cognoscere quid sibi vellent:
Usq; adeò obscurè scribere, Paule, soles.
Nam tu verba, puto, ex libris accepta Sibyllæ,
Quæq; Catonis erant tempore prisca nimis,
Versibus infercis, gaudesq; obscurus haberi,
Et velut inductâ singula nube tegis.
Errasti hoc tantũ, quod mittens carmina, Paule;
Debueras unâ mittere Grammaticum;

Democritus dicebat; In speculo faciei figuram, in verbis & Stylo animi qualitatem deprehendi. Nihil addo amplius; Vnum illud nunc satis demirari nequeo; cum in omni disciplinarum genere egregiè exculti, hoc docto seculo extent viri; Poesin tamen Comicam sic neglectam jacere, sic intactam relinqui, tanquam res sit inimitabilis, & cui opera parum utiliter collocetur.

Quod

Quod ni ita habere videretur, non tàm velut conjurati bonarum rerum scriptores inde temperarent manus. Laudata est Comœdia Tullio, ut humanæ vitæ speculum; celebrata est Comœdia doctissimorum virorum calculis; sed ô indignum! ipsa si indigna, quam multi conentur imitari, ne dicam calamo ad vivum exprimere. Habet hæc ætas, habet, inquam, suos Tullios, habet suos Livios, habet suos Vergilios, habet suos Demosthenes; ut Solones, ut Hippocrates, ut Chrysostomos taceam: Menandros verô & Terentios penè nullos habet. *Quid quæsô causæ? Iccircóne manum de tabula? quia sublimior forteàn ejus rei tractatio habeatur, & non nisi summus ingenijs digna? Erras meâ quidem sententiâ, ita qui censeas, erras. Etenim, ut Comœdiarum argumenta è mediâ hominum vitâ petuntur; ita tractari facilè possunt ob styli mediocritatem dicam an facilitatem; vel ab ijs potissimum, qui hominum ingenia, mores & vitam sic habent meditata, ut ea pro decoro queant exprimere. Atque hinc adeò ego, hanc ut glaciem audax perfringerem, tentavi quid nostra, qua-*

lis qualis etjam illa tandem sit, Thalia daret. Quid autem & quantum acceperim, omnes boni censores judicent, quibus ad hanc palestram instructiores sunt animi, quosque cupiam ad id genus studia accingere sua. Ego interim non erubesco deformes catulos pro formosis ostentare, & velut Anser strepere inter Olorcs; ut audaciâ meâ Doctiorum segnitiem extimulem. Quos ipsis siquiores sensero, sunt apud me & aliæ fœturæ, quas tyrunculis litterarijs impertiam, & quidem non multos post hos dies: quod si iniquiores rescivero eosdem, prementur non in nonum, sed in annum millesimum, atque cum Augusti Ajace in spongiam incumbent. Vos tamen vos, Magnifici, Clarissimi, Amplissimi & consultissimi viri, interim appello; quorum ego si senserim me probari calculo, non parum spei concipio, meam hanc opulentiam candidis quibusque non improbatum iri. Sub vestri igitur nominis auspicio in lucem dabitur hæc CORNELIVS; ita tamen, ut vos singulos debitâ observantiâ rogem, ut hasce meas lucubratiunculas latâ fronte excipiatis, meique erga vos studij quale quale Mnemosynon, ne vel ab Homeri Zoilo; vel Vergilij Perone

rone & Philisco corrumpatur, servetis. Ita nunquam defetiscar vestros honores, vestram Rempubl. vestram rem Ecclesiasticam & Scholasticam provehere, & quidem summo cum studio. Cui adspiret Altissimus, qui vos singulos mihi dignetur semper servare incolumes. Rostochij ex Museo meo, Anno Iubilæo, die adscensionis Christi ad cœlos.

V. M. C. & A. C.

Observantissimus

M. Albertus VVichgrevius.

BENIVOLO LECTORI S. P.

NE mirere, benivole Lector, cur CORNELIVS mea, novâ formâ adornata, iterum in lucem conspectumq; hominum audet prosilire. Nota enim facta iis, quibus ipse dudum notus, id est, viris doctrinæ non pravæ & examinis judiciiq; perpensi, statim variis in locis cepit distrahi, in nonnullis etiam publicitus agi. Quod ipsum, dum Bibliopola Lubecensis, LAVRENTIUS ALBERTI, forteàn è re sua esse videbat, denuò sibi à me indulgeri contendebat, qui suis sumtibus, & Calcographi industria, emendatior publicæ luci restitueretur, donaretur. Indulsi ego lubens. Vidi enim, & vidi non sine bile, quot σφάλματα typographica, haud scio, cujus incuriâ irrepserant. Non paucæ periodi distractæ, multæ distinctiones neglectæ, compluria denique verba ex præscripto exemplari omissa. Quæ omnia, cum non minus ipsam argumenti dignitatem, quàm meum quoque in scribendis Comœdiis studium planè infirmarent, & Zoilorum concioni, quasi risui & ludibrio exponerent; non adeò Cornelium à tineis & blattis arrodi sum passus, ut potius ab ijs eam liberarem, & comparili operâ clandestini cujus-

cujusdam inimici dicam an importunè malevoli vaniloquia, & criminationes detegerem.

Age igitur tu altioris scilicet intelligentiæ Doctor, qui stentoria voce tam audacter carpis, quæ vix ac ne vix quidem capis; iterum, in tam sancto vestibulo, singulas CORNELII non modo Philyras sed folia quoque, censoria tua virgula perstringe; nihilq; in iis, quod vel ad pietatem, vel modestiam, vel elegantem litteraturam faciat, reperiri, tanquam ex Tripode quodam detonare non erubesce. Maximè autem hoc, istâ tuâ gravitate, supercilio miro, atque oculis emisitiis, apud eum conare, qui albus an ater sis, ipse omninò nesciat. Infensum scilicet (ita mihi persuadeo, quamvis tui odii in me concepti causam, æquè sciam cum ignarissimis) facere me tentas iis, qui, cum ipsi ex albo sint Pietatis, Eruditionis, Integritatis, majori me forteàn complectantur benivolentia, atque te. At verò (nam & hoc mihi persuadeo) illi ipsi, pro eâ, quâ præditi sunt prudentia, impudentiam tuam graviori cum adfectu detestabuntur: & Comœdiam meam vicissim eò alacriùs deinceps perlustrabunt, laudabunt, amabunt. Si quid enim tu in ea inveniisses, legisses; quod aut ingenuos Musarum alumnos offenderet, aut ipsam pietatem infirmaret, aut elegantem litteraturam deformaret; de eo quidem me utpote autorem, incoràm admonuisses. & quod

Reli-

Religionis acrem defensorem, quod bonarum litterarum validum propugnatorem, quod morum patronum mirum decet, feciſſes. Iam verò, cum aliter egeris, tale te quiddam animo agitare tuo, exiſtimo, quale pictorem olim, neſcio quem, machinatum ſuiſſe, ſcribit Plutarchus. Is, cum Gallos aliquot ſanè quam infeliciter pinxiſſet, puerum adſidere tabulæ juſsit, qui veros Gallos quàm longiſsimè inde abigeret: ne, ſi illi proprius acceſsiſſent; tum ineptitudo Gallorum ſuorum, facilius deprehendi à quovis poſſet: Ita etiam nunc tu, cum ipſe aliud nihil, niſi nugas quaſdam, & ex vetulis fraudulenter fictas novitates aliis inculces; mirâ quadam arte, id agis, ne quid unquam veræ pietatis, eruditionis & morum, auribus & oculis aliorum, ex mea Comœdiâ admoveatur: Quæ ſi contingat illis guſtare ſemel, actum fuerit de tuo regno; atque ſic libentius deinceps alii meas, quales quales lucubrationes eguerint, legerint, quàm tuis Leptologiis vacuas dederint aures. Hinc illæ lacrumæ; hæc illa eſt Helena, pro qua tanquam pro aris & focis, extrema omnia tibi ferenda putas. Pol ſi tu ipſe quid conſimili in Comicorum genere fingere & pingere conareris; vereor id ne accideret tibi, quod vulpi olim neſcio cui. Illa enim pira ea vituperaſſe dicitur, quæ ex arbore decutere ipſa nō poſſet. Adeò idoneus mihi tu videris ad ſcribēdas bonas fabulas,

las, ut tibi facilius multò fuerit, reſtitantẽ tergiverſantemq́; educere ab inferis Cerberum, aut obtruncare Atlantem & Herculem, quò cœlum ruat. Neque verò etiam me vel tantillum movet, quod neſcio quem habere te, gaudeas, qui inſuſurrarit, experientia, experientia inquam, rerum exquiſita eos imbutos eſſe oportere, imò & ætate grandiori, qui fabulas ſcribere volent: idque audiſſe ſe aliquando ex magno quodam Poëta, qui etiamnum in mortalium computatur numero, adfirmarit. Bene! Bene! Arrige aures huc Pamphile, non es deceptus. Experientiam hîc requiri, non nego; Compluribus quoque annis opus, imò peropus eſſe, lubens concedo: num autem tam exquiſitam & multijugam experientiam ad meam depingendam CORNELIVM, *ipſa neceſsitas ſuo quodam jure flagitarit; hoc vero, hoc illud eſt*, quod dubitem, & iccircò ex te atque admonitore tuo rogatum velim. Et licet ipſe nondum ſim obſitus canis, ac annorum vetuſtate frigidus, atque ita redditus prudentior; per ætatis tamen gradus, relictis nucibus ad viriles metas perveni, adeoq́; annos triginta, Altiſsimi indultu jam ſum permenſus. Quorum decem integros in talibus contrivi Academiis, in quibus huiuſmodi mores, quales in CORNELIO mea, ſtylo & filo comico depictos vides, videre cottidiè & obſervare valui. Quid autem in ipſa

Comœ-

Comœdia, per ingenioli mei (quod quam exiguum sit, ipse pernovi) lusum, præstare potuerim, absit longissimè ut ego dicam. Dicunt illud tibi Carmina aliorum, quêis tu ne matulam quidem ut porrigas, dignus. Illi ipsi, vel me tacente, Livore rumpente; parati erunt, uberiori etiam, si optem, elogio de meo studio, industria, & vitæ integritate, reddere rationem; quantumvis tu etiam blateres, quid juvet vena, vel de mea ruditate, vel in demandatâ mihi provincia, negligentia. Quamobrem pergas licet, quâ cepisti homo Candide, & salsissimis salibus ludas, quoties libet in hominem dissimilimum tui. Interim Hippocrates mihi in mente; Ut venena, inquit, omnia impensè discunt & inquirunt Medici, quo facilior sit eorum cautio: ita artes fraudesq; hominum scire expedit, non ut iis utamur, sed ut providè ab iis caveamus. Et profectò, ut tela quæ in aërem mittuntur, ire videntur, non tamen eunt, sic malorum calumniæ bonos non tangunt. Tu verò mihi illud expende, Benevole Lector, quantum fidei talibus hominibus sit habendum in rebus aliis, quibus ad facienda hæc sacra illa auri fames est in causa ut velint, impudentia, ut ausint: Et dubito nullus, quin hæc CORNELIVS, alio, ut vides, vestitu decorata, gratior tibi sit, quam fuerit. Vale feliciter. Pritzvvaldiæ ex meo Museo Anno 1600.

ORNA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757649904/phys_0018
DFG

ORNATISSIMO VIRO
doctrina & virtute præstanti
M. ALBERTO WICHGREVIO Hamburgensi, Sympatriotæ carissimo S.

INgeniosa tibi doctrina dat optime laudem
Wichgrevi, cujus splendida signa nitent.
Splendidius verò reliquis nitet omnibus illud,
Quod claro dignum lumine prodit opus,
Hoc pubis vario depingit schemate mores,
Mores ut discat nosse juventa suos.
Humanæ speculum præstans Comœdia vitæ
Vnumquemq; etjam multa docere potest.

Iohannes Frederus SS. Theologiæ Doctor & Professor publ. pro tempore Magn. Rector.

CVm tibi *Wichgrevi* faciles sua munera Divi
Plurima munificâ contribuere manu,
Totus

Totus agas benè de ſtudijs mereare juventæ
Sic tuus ad ſera hinc tempora vivet honor.
Et Muſæ viridi cingent tua tempora Lauro,
Nec deërunt genio mollia fata tuo.

David Lobechius SS. Theologiæ Doctor
& Profeſſor publicus.

CORNELIUS RELEGATVS

ἀναγραμματισθεὶς.

COR NE LUIS? LEGE RATUS.

NOn diſcunt, quicunq; Scholas hinc inde frequentant,
Non diſcunt, quærunt quicunq; hinc inde Tabernas,
Non diſcunt, bellas adamant quicunq; Puellas.
(Scilicet incautæ incautus labor iſte Iuventæ eſt,
Scilicet hæc ſitis eſt, ſitis haud laudanda, Iuventæ,
Scilicet eſt calidæ calidus furor iſte Iuventæ.)
Sed cum non fiſcus, diſcus, patriúmve ſalinum
Splendet adhuc, morbi veniunt vel ſerior ætas,
His querulis querulas incuſant vocibus auras:
Cor ne luis? procul eſt nec Deſperatio, & optant:
O mihi præteritos reddat ſi nunc Deus annos,
O mihi decoctum reddat ſi nunc Deus aurum,
O mihi membrorum reddat ſi nunc Deus uſum.

Sed

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757649904/phys_0020
DFG

Sed frustrà. adjiciunt igitur: lege *nunc* ratus *ista*
Quisquis es, ac caveas Epimetheus dicier olim.

Iohannes I. F. Possellius, Græcæ linguæ
in Academia Rostochiensi P. P.

COmœdiam WICHGREVII
Novam, facetam, floridam,
Rosea juventus perlege,
CORNELIANOS & fuge
Madidique mores SUSII.
ALBERTE quid mereberis
Tam scitulâ comœdiâ?

M. Martinus Braschius Logices Professor quondam publ. Poëta Cæsarius.

SI linguam Pueri moresq; *Poëta* figurat: (quæ
Si rude adhuc pectus præceptis instruit, ut
Sint fugienda Puer fugiat, faciendaq;, rectè
Designet: quis te neget, *Alberte*, esse *Poëtam*?
Tu pestes nobis studiorum ita pingis apertè;
Quæ sunt *Ambitio: Sophies persuasio: quidvis*

Audendi furor : ebrietas : malesuada libido ;
Ut nec *Lysippus* melius te duceret æra
Cornelî illius vultum simulantia : perge
Wichgrevi, & cane grata Deo, cane grata Iuventæ.

M. Ioannes Simonius Rhetoricæ
Professor publicus P.

QVâ Studiosorum & Studiorum peste laborent
Claræ Academi umbræ, & doctæ Lycea, gravi
Virtutem & Sophien quî expungant ira, libido,
Et scelerum hortatrix improba luxuria ;
Et possessore, svitâ & virtute relictâ,
Quàm gravis atq; atrox mox Metanœa coquat
Qui velut in speculo cupis omnia contemplari,
Hæc te WICHGREVî fabula amœna docet.
VIs CONTRISTARI NVNQVAM? VITAM EXIGE HONESTAM,
Sisque legens damno hæc cautior alterius.

M. Eilhardus Lubinus Poëseos Professor publ.

AL-

ALBERTUS VUICHGREVIUS.

Ἀναγραμ.

HUC VERGITE UBI LAURUS.
HIC LAURUS; TU VIGE REBUS

HUc ô, *Pimplæi qui quæritis ardua montis*
Musa sonat, juvenes, Vergite, Laurus ubi.
Pergite, Phœbus adest Clariâ comitãte catervâ,
Laturus socijs præmia digna suis.
Wichgrevi, *quin culta petis subsellia, virtus,*
Quin cito, promeruit quæ tua, dona capis?
Chare veni, tibi Laurus *adest* hic *flore virescens,*
Hic nova serta tibi Sais honora parat.
Gemma micat digitis, rosonãt gratissima Musæ
Carmina, dat titulos Actius arte graves.
Exultans, Alberte, *tibi quæ dona feruntur*
Accipe, pro studijs, ingenioſe tuis.
Accipe, posti q. tuis felix tu *plurima* Rebus
Secla Vige, *dulci semper honore cluens.*

M. Casparus Conradus Vratislav

Ad Virum clarisſ. doctisſimum,

ALBERTVM WICHGREVIVM,

Artium ac Philoſoph. Magiſtrum, Poëtam lauru dignisſim. edentem

novam de CORNELIO comœdiam,

Epigrammation.

NÆ tu reapſe fax Novemſilum cluis
ALBERTE, filI Iapeti rarum jubar.
Id plenè ais, planèque *homillos* inclutô
vigore in aſtricum refers dum tramitem:
Modò aſt idem evidentius redarguis,
terſum, Monetæ & lacte ſotum quando opus
haùt invides Muſarum oclis; CORNELII
quô facta penſitas, peremnifluô & *virûm*
rodentis, & latratu *homillûm* viſcera.
Næ tu vir audis, tanta & ad miraculum
monumenta prælo indens juvenantis ingenI.
Evax! Moriri ſic vetant te numina.

Jacobi FabricI Poëtæ Cæſarij
& Medicinæ Candidati.

EPI-

EPIGRAMMA
IN CORNELIUM RELEGATUM,
Comœdiam novam, nuper à clariss. ac doctiss. viro M. ALBERTO VVICHGREVIO Poëta Laureato, & Scholæ Pritzvvalcens. Rectore digniss. editam, & denuò recognitam.

VIx incude recens nobis Cornelius *acta est*
Fabula, Wichgrevi quam modò Musa dedit.
Hanc iterum ad prælum limæ labor additus urget,
Et vigil incudi reddere cura jubet.
Quæ tibi si placuit forsan Comœdia, Lector,
Non dubito, quin jam sit placitura magis.
Exemplar vitæ, qua nunc Academia fermè
Gaudet, in hac auctor proposuisse studet:
Quidq; ibi designet damnosa licentia vulgi:
Quomodo & in casses Musica turba ruat:
Deniq; qui nunc sint mores, quæ vita Studentum,
Hæc satis appositè Fabula bella docet.
Multum habet hæc artis, multum dulcedinis in se,
Hæc habet admixtis seria multa jocis.
Quid loquar? eximium produxit Treva Poëtam;
Nil nisi Neptuni quam dare rebar opes.
Inclyta Treva tuum meritò complectere Vatem:
Clarius hoc uno nomen habere potes.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757649904/phys_0025
DFG

Multa quidem Albiacas fertur tibi Gaza per undas;
Ista tamen parvo tempore Gaza perit.
Quæ venit Aonijs æterna est gloria Musis,
Gloria, quæ vita est altera, morte carens.

Iohannis Conovij civis Pritzvvalcen-
sis, & Notarij publici.

WICHGREVI, natura viris non omnibus una:
Felix ingenij qui polit ergò decus!
Hic labor hîc tuus est, quænam ergò in carmine vires,
Sint tibi, Corneli hæc fabula scita docet.
Perge decus Patriæ, Musarum floscule perge;
Sic in sera tuus secla virebit honos.

Johannes Bochmannus
Borussus.

MEns generosa cupit non uni insistere pal-
Nec gloriam levem aucupat: (mæ,
Sparsa sed ut patulum discurrat Fama per orbē,
Conquirit undique copiam.

VVich-

VVichgrevi, clarũ es jam pridem nomẽ adeptus,
Nil adquiescis at minus:
Ingenio varias promis sed divite dotes,
Quẽis laus siet celebrior.
Adjicit huic multum comi velamine qui nunc
Prodit tuus Cornelius
Ceu typus; ut variet moreis Academica pubes:
Hic pravus est, alter bonus.
Muneris hic sese cancellis sponte coârtat:
Perversus ille transilit:
AErumnis miserè pressus Cornelius, ægro
Deluctat hinc conamine.
Hoc est, quod nimium fugias incauta juven-
Quodq; esse possit usui. (tus,
Tu fruere: & poterit mens jucundarier inde,
Simulq; plura addiscere:
Invida nec renuas, quidquid debetur honoris
Hujus parenti Fabulæ,
Sed per te gratam consurgat clarior, istud
Phœbi decus, VVICHGREVIVS.

Theodorus Drejer.

TEmpora lugebat Tragicè Comœdia nostra,
Quod nullos mũdo dẽt, habeantve viros,

Qui doctis salibus vitam procudere possent,
Et nomen mortis tollere de feretro:
Cum tamen immenso fœcunda *Tragœdia* partu
Pullulet, & lachrymis gaudeat ipsa suis.
Hoc ratus indignum *Wichgrevius*, omne reducit,
Munditiæ genus & Hellados & Latij.
Inducitque foro primum tristi agmine curas,
Et laceratis suspiria palliolis.
Albentes induta sinus mox gaudia profert:
Quîs facies dulcem jubilat ad strepitum,
Invergitque sales toties, tantâ arte striatos
Dulce Iovi Alcmenæ sordeat ut gremium.
I nunc & nostro memora quoque *Græcule* seclo!
Semivirosque Deos, semideosque viros.

Samuel Dresemius Dithmarsus.

SEu prodesse velit seu delectare Poëta,
Promeritæ laudis præmia semper habe-
Prodes, Wichgrevi, *ac delectas; unus ut trumq;*
Das, an plenius hoc, ut dubitetur an hoc,
Hoc culto esto, illud triviali, muneris instar,
Sæpe ille adplaudet: cædet at hic pluteum.

Mox

Mox nec erit precium mirari, teq; tuumq;
Cornelium plures gignere Cornelios.

ALBERTUS WICHGREVIUS.

Ανάγραμμα.

TU VIREBIS CEU LAURUS.

SInondum tibi sit, Wichgrevi *florida laurus*,
Imponat laurum jam tibi Cornelius.
Debetur, nam tu tali tàm dignus honore:
Quàm tuus est lecto carmine Cornelius.
Ac tu *Wichgrevi* ceu laurus, *crede*, virebis
Dum vivet tua tam scitula Cornelius.
Multa quidem nosti; at nunc nosti plurima cer- (tè,
Vt sat nosti te Corneliumq; tuum.

Theodorus Glazerus
Dithmarsus.

DRAMATIS PERSONÆ.

PROLOGUS.

ARGUMENTATOR. Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus.

EUBULUS pater.
SOPHIA mater.
EUGENIA virgo.
CORNELIUS fil.
GRILLUS
SUSIO } Studiosi
SORGIUS
SIMON famulus.
DONATUS puer.
GERHARDUS hospes.
ANNA hospita.
LUBENTIA virgo.
TRULLULALULLA ancilla.
FRIDERICUS Mag. Rector.
AURARIUS minist. Acad.
VALENTIUS minister A.
JOANNES Theol. D.
JUSTUS J. U. D.
VIGILANTIUS M. D.
PAULUS Philos.
PHILIPPUS Notar.
OCYPUS Tabellio.
HARPAX Institor.
HANNO Oenop.
MORSIO Pharma.
CHRYSOSTOMUS Bibliopola.
NOVELLUS Sartor.
SMUTZO Sutor.
CARPZOVIUS Ton.
MARTHA Lotrix.
ASMUS Caupo.
HANSIUS præfectus vigilum.
SPECTRUM.
VOLATINUS Curs.
NESTOR Princeps cum comitatu.

PRO-

PROLOGUS.

Poëta noster postquam rationes suas
CORNELIUM relegandi collegerat,
Id curæ præsensit sibi soli incumbere,
Placeret doctis quam pararet fabulam;
Etenim placere velle doctis & rudi
Populo simul, vel maxuma insipientia est;
Nam pacto hoc omnibus placere postulat,
Quod ipsum, me herclè, nulli hominum unquam contigit:
Docet hoc de Patre & Filio ducentibus
Asinum perquàm facetâ & pulcra fabula;
Audite eam libenter, erimus perbreves.
Quidam vir Emporium aditurus publicum
Ibat pedes, sinistra ducens filium,
Dextrà trahens Asinum venalem sarcinâ
Carentem: Neuter hunc audet conscendere,
Ne forsit àn fessus viæ atq; ponderis
Molestia, minoris æquo veneat,
Rident videntes hoc, & stultitiam senì
Mox exprobrant: quòd bestiæ laboribus
Inprimis natæ cautè parcerent; senex
Hoc audiens, Asello iratus insidet;
Adsunt alij, qui durum ô patrem clamitant,
Quod non permittat filium conscendere
Pedibus valentem se minus; morem gerit,
Gnatoq; super Asinum cedit locum.
Hoc facto major oritur exprobatio,

En,

En, inquiunt, robustus equitat filius,
Et Pater hærens vix membris, pedibus ambulat;
Ergo ipse & insidet Pater, & vehitur simul,
Sed & sic displicet ægrè alijs ferentibus,
Utrumq; pondere hoc animal nimium premi;
Quod æquius, quia facilius, ipsi ferant;
Descendunt ambo, & vinciunt & bajulant
Sude Asinum, sese imposterum rati fore
Cujuslibet reprehensionis liberos;
Sed frustra; Nam cum in ponte deponunt onus,
Defessi, jamq; iterum illud humeris sublevant!
Ingentem adstantium risum excitant, eis
Dicentium, Ellebori esse opus purgamine;
Quid, inquiunt; nobisne Elleboro opus? quid hoc?
Valeat Asinus, hoc dicentes, ira exciti,
Sese placere minus quò plus student, statim
De ponte suam in flumen præcipitant bestiam.
Hæc quid velit sibi Auditores Fabula,
Nemo ita stupidus est Asinus ut non sentiat;
Proin si quis adhuc quæret, quid sibi velit,
A nobis responsi accipiet nil, sed modo
Eum, quisquis etjam sit, ad hunc Asinum statim
Mittemus, ab eo ipso petitum, quod volet;
Hoc præmonitum volui; nunc optumi viri
Adeste cum silentio, ut Momus habeat
Quod carpat; Invidus quod invideat; & id,
Quod unicè expeto, ut audiat quisq; æquus, &
Benè candidus, qum quæ probet, tum quæ improbet.

ARGV-

ARGUMENTUM COMOEDIAE.

CORNELIVS, trivialis tœdium ut scholæ
O brepserat, incusans Magistri inertiam;
R ogat patrem, ut ablegetur in Academiam,
N actus potestatem viæ, sese statim ad
E UGEniam confert, quam deâmarat, Virginẽ;
L icentiatum se futurum prædicans;
I nde invicem precioso ornant se munere;
U t primum ingressus Academiam, curat sibi
S tatim abjici cornua, fit Studiosus, suum
R ectori dans nomen; mox splendidissimum
E pusum parat, cum congerronibus, aleâ,
L asciviâ, luxu sœdè rem prodigit,
E x hinc eò calamitatis incidit,
G audium ut in mœrorem vertatur, debiti
A ccusatur suis à Creditoribus;
T um verò ob multa alia scelera proscribitur;
U rbem repetit suam, ibi de laqueo cogitans
S ubitò argentum invenit, resipiscit, recipitur.

ARGUMENTUM GERMANICUM Actus primi.

Scen. 1. IM ersten Actu wird vermeldt/
Wie Cornelius ein Schreibn gstelt/
An seinen Vater/ daß jhm nicht
Von seinem Meister recht geschicht/

Wil

Wil nach einr Universitat/
Vnd werden ein Licentiat/
Eubulus jhm gehorchen thut/
Vermant jhn mit freundlichen muth/
Wie er soll meidn die böse Welt/
Gibt jhm zu seim studiren Geld/
Scen. 2. Bitt Gott daß er jhn woll regiern/
Vnd glück geben zu seim studirn/
Scen. 3. Cornel. geht zu Eugeniam,
Vnd zeiget jhr sein scheiden an/
Eugenia wird betrübet sehr/
Vnd bittet jhn zu bleiben mehr/
Vnd fangen etwas anders an/
Davon er auch kan werdn ein Man/
Weil er sich abr dawider stellt/
Studenten Lebn jhm baß gefellt/
Die Jungfraw jhm verehrt Geschenck/
Dabey er jhr sey eingedenck/
Deßgleichen auch Cornelius thut/
Vnd zeucht davon mit frischen muth.
Scen. 4. Der Mutter abr im Traum fürschwebt/
Wie Cornelius im sause lebt/
Vnd kompt drüber in Angst vnd Noth/
Wird jederman zu einem spot/
Drümb sie für sorgen wüntscht zu sterbn/
Eh dann sie seh jhrs Sohns Verderbn.

ACTUS

ACTUS PRIMI, SCENA PRIMA.

EUBULUS, SOPHIA, CORNELIUS.

Senarij.

QUæ cura CORNELI parentum in liberos
Sit, nemo, niſi cui liberi, hoc intelligit,
Namq; ut vetus docet nos veriverbium,
Deſcendit, haud adſcendit amoris adfectus,
Atq; adeò hinc ipſius, & mater tua unica,
Sollicita cura te eduximus à parvolo,
Habuimus atq; amavimus te proprios
Noſtros ut oculos; tum verò vel maximè
Curæ fuiſti, ne vel frangeres pedem,
Aut uſpiam caderes, aut congerronibus
(*Ut nunc vita & vitia ſunt adoleſcentulûm*
Ferè omnium) *tete adſociares improbis.*
Hei! quot ſalute pro tuâ traduximus
Inſomnes noctes, quot ſæpè integros dies
Nos cautè ad vacillantia incunabula
Conſedimus! quot duximus ſuſpiria!
Nunc ſuperis ſit laus, quod preces audiverint
Noſtras, inq; hunc nobis te ſervarint diem;
Sis unicum ut noſtræ ſenectæ pabulum.
Quod ut aliquando verum fiat, optimus

Fauſ

Faxit creator omnium rerum & parens.
Jam spe sub illa, te perpetuum & stabile
Nobis futurum gaudium, huc te accivimus,
Petitioni ut responsum auferas tuæ.
Scribebas nuper, te relicturum gregem
Et pulverem Scholasticum, insimulans tui
Socordiam Magistri, & plagosas manus.
Age ergò, ut lenitatem & indulgentiam
Nostram experiare, certum est hinc perendiè
Amicis optumis consentientibus
Aurora postquam illuxit, tete in proxumam
Academiam ablegare, ut arte & moribus
Cultissimis imbutus, post triennium,
Si Fata tantum cedent vitæ tempora,
Cum gaudijs reguste Lares patrios.
Et nos & amicos, quin familiam & integram
Tuis politulis decores virtutibus.
Ecquid, respondè, hæc conditio placet tibi?
CORN. *Benignitatem omnem parentes optumi*
Charissimiq; in filium abundè præstitam
Vestrum, cum ex hac Oratione patria,
Tum verò reipsà comperi vel millies.
Proin, ceu obedientem & morigerum decet
Gnatum, omnibus pro beneficijs ex intimo
Cordis penetrali, gratias quàm maximas
Habeo, referamq; debitas, quando licet,
Non unico modio, sed vel toto horreo.

Cumq;

Cumq; audiam vos me ex triviali hoc pulvere
Missuros, est quod gestiam & mihi gratuler!
Ita etjam instituam vitæ rationes, ut &
Vobis honori, & laudi amicis sim omnibus.
EUB. *Mi gnate, ut video, pruriunt tibi pedes,*
Ardentq; fugam, quod animum discruciat meum.
Nam te bonæ conditionis jam tædium
Cepit; quòd est, parentum te nov amplius
Perferre posse imperium, & durius seculum
Fugum; quin frons idipsum læta nimis, vaga &
Subindicant tacente linguâ lumina.
SOP. *Quæ tibi dixit parens* CORNELI *gnate mi,*
Fuêre cuncta hæc luctuosa Oratio
Huic tuæ genitrici; quæ sub pectore
Te gessit, & dolore in auram protulit,
Quæ te toties fovit, quæ mille periculis
Te eripuit, quæ te lactavit, quæ moribus
Bonis, quæ precibus informavit te pÿs,
Cui nil in orbe fuit, te solo, carius.
Quare, oro, quâ cepisti perge semitâ,
Contendere ad artium & virtutum culmina.
Etenim valet tibi judicium, valet ingenî
Vigor, hinc palæstra si in tua sudaveris
Fideliter, nunquam meam & tui patris
Benignitatem senseris in te claudier.
CORN. *Istos, pia mater, quos huc usq; ob filium*
Es passa dolores & labores maximos,
Oro valere longè jubeas singulos!

Agnosco pietatem tuam, quam in filium
Usq; huc servasti, eamq;, ceu decet, colam.
EUB. *Mi Gnate, etsi nil dubito, quin fueris pius,*
Probus, modestus, castus, atq; in artibus
Humanioribus discendis sedulus;
Tamen absq; nostris præceptis salubribus
Non te loca ad ignota hinc sinam proficiscier.
Nam Seculum hoc novi quibus sit moribus,
Tum sæpè ex alijs intellexi, quæ siet
Multorum in scholis publicis Studentium
Misella vita, qui sequntur crebrius
Horendi Martis & Veneris turpissima
Delubra, quam serena templa Pallados.
Quare hæc præcepta si capesses, quæ tibi
Trado, bona in mente considebunt plurima.
Primum Deum *cole, atq; concionibus*
Sacris frequenter interesto publicis;
Rectoris hinc Magnifici & dictis omnium
Pareto Professorum, Parentum qui loco.
Tum verò lites pejus angue & Tygride
Vitabis, cum sciam, plerumq; creberrimas
Solere hodiè simultates existere;
Quarè placebis, poclis si remiseris
Ingratum nuncium, & tete abstuleris domum,
Fugiens consortia prava ceu scopulos maris.
Et quoniam læta frons tibi, atq; oculi vagi,
Quæ duo in amore maxima sunt mala & bona;
Fœmineum, quod malorum pestis omnium,

Genus

Genus fuge, ô CORNELI, namque in ore mel,
In corde fel gerit, quin & virtus patet
Huic in fronte, sed sub veste sordidum
Virus latet; fuge, oro, hoc pessimum malum.
Etenim semel in hujus si incideris retia,
Nunquam inde, quamvis mille tentes id modis,
Tete expedies, studia omnia frigebunt, preces
Omnes erunt inanes, irritus semel
Conatus omnis; quin, quod Gnate maxumum,
Non tantum cuncta perdes membra corporis;
Sed &, avertat quod clementissimus Deus;
Nunquam appelles vitæ in portum optatissimæ.
Nam Scortatores atq; Adulteri, Dei
Non possidebunt regnum, docet ut Apostolus;
Sequere hortamen meum hoc; avis non commodè
Alis fugit visco illitis, *age sequere.*
Postremò, ne te ære alieno obstringas, cave.
Quantum fuerit studijs tuis pecuniæ
Opus, mittetur à me; tu modo singulis
Hinc tempori satis fac creditoribus,
Ne, si tu aliquando illic discesseris, graves
Ad me querelæ perferantur, ô cave.
CORN. *Ne sis sollicitus oro, mei causa, optume*
Parens, faciam omne sedulò quod jusseris.
EUB. *Istud quidem faxit Deus.* SOPH. *Ô Altissime,*
Da nostra sint hæc vota perpetuum rata!
CORN. *Ecquid parentes jam me voltis amplius;*
EUB. *En dimidium thalerum, quem dabis tuæ*

Marthæ nutrici, quæ te eduxit parvolum.
Tum vero adito Gastrodem, & Polypluſium
Vicinos atq; amicos noſtros, ac eos
Iube valere, diſceſſum ſubindicans.
CORN. *Eo, ut mandata veſtra promtus exequar.*

ACTUS PRIMI SCENA SECUNDA.

EUBULUS.

Septenarij.

DEus cœli atq; terræ, gratias tibi maximas
Habeo, quod talem ſis mihi largitus filium,
Quem nulla in re mihi immorigerum habui, dum vixit hèic:
Nunc porrò toto pectore te unicè precor, ut, quia
Illum in Academiam, tanquam bonarum ad artium,
Morumq; politiorum mercaturam mittere
Conſtitui; tu Sapientiæ & Bonitatis ſub tuo
Clypeo & tutela eum ipſum digneris defendere.
Etenim, ſine dio Numine, nil in homine eſt, quod queat
Rectè facere, & ſit nihil humana induſtria boni,
Ubi non eſt præſto divina moderatio tibi.
Tu ergò clemens Deus, divini radijs flaminis
Noctu diuq; illius illuſtra animum, ut omnia
Studia actionesq; ad præcepta dirigat tua,

Nec

Nec usquam à Pietatis declinet semita; at fiet
Nobis hac mundi immundi in fabula parentibus
Honor, & hinc hæres æternæ vitæ gratissimus.
Nunc proximum est, ut intus conveniam gnatum meum,
Eiq; dinumerem argentum, & vestes emam, quibus
Opus, ut se crastinâ die accingat viæ suæ.

ACTUS PRIMI SCENA TERTIA.

CORNELIUS. EUGENIA Virgo.

Senarij.

HOlla Hoscha Ho!
Ecquis me jam nunc vivat fortunatior?
Ecquem magis Dij Deæq; omnes ament,
Magisq; benefaciant, consilia & prosperent,
Ut eveniant, quæ optat, & ut optat omnia?
Næ tu CORNELI albæ Gallinæ es filius,
Qui tales divites, qui tales simplices,
Qui tales propitios parentes nactus es.
Nam quanta, proh DEVM immortalem! astutiæ
Argento eos ut defraudares, sæpius
Es usus, inde usq; à Puero; Nunc opus erat
Floreno, nunc iterum, usq; iterum, usq; iterum integro
Joachimico, ad librum, vel pileum, aut calceos,
Aliasq; ad res mihi comparandas plurimas.
Respondebat quidem Senior, Hei Gnate mi!

Si postulando tu mihi sic perrexeris,
Citius me egenum, ac divitem te effeceris.
At ego sciens patris mei substantiam,
Claudebam ad singula hæc fenestras aurium;
Aut durum est, dicebam, telum Necessitas;
Sed postquam argentum dinumeraverat senex,
Valere jubebam librum, pileum, calceos,
Valere præceptores omnes cum scholâ,
Ad Eugeniam *meam, meum illud corculum*
Meumq; ocellulum atq; delicias volans;
In eâ me oblectabam, cum eâ, quando parens
Domo peregrè aberat, dies haut pauculos
Noctesq; multas consumebam in gaudijs;
O me fortunatum plus quàm dici potest!
Ecce autem nunc aliud obortum est gaudium,
Parens meus mihi argentum atq; aurum dedit,
Queîs mihi in Academiam licet proficiscier,
Prosit ei largitas, sed mihi Pecunia.
Fußit quidem ille, ut impendam in bonos libros;
Et in dubiam mei salutem corporis;
Verum, simulatq; ego venero in Academiam,
Beano deposito, cives faciam mihi
Ut adsient, atq; omne tempus insimul
Mecum ducant in gaudijs communibus;
Si plusculum insumpsero quam par, quid interest?
Fallaciarum mille modo viæ patent,
Quibus ex sene argentum omne extorseris probè.
Sed de his satis. Tempus Monitor rerũ omnium,

Nunc

Nunc, Eugeniam, *priusquam hinc abeam, efflagitat,*
Conveniam, ut ei valedicam ad annos pauculos;
Sed hac per angiportum tentanda est via;
Ne, dum Lux micat adhuc, vicini sentiant!
Heu! usitato more, quanto ore liceat,
Consuetam verborum ingeminabo formulam;
Ut quando venero, statim mihi adsiet;

Sed ecce præstò est; Ah mea Eugenia! *unica*
Voluptas; Eheu, salve plus mihi centies!
EUG. *At tu mihi* Corneli *salve plus millies,*
Ecquid vales? ubi tam tardè ocelle mi?
COR. *Valeo quidem & non valeo.* EUG. *Quid* CORN.
Dicit meus? COR. *Hoc quod audis.* EUG. *Quid ea*
volunt sibi
Verba? Valeo quidem & non valeo. COR. *Ergò scias*
Faciam. Cras hinc vel primulo diluculo,
Si vixero, proficiscar in Academiam,
Ut illic, præterlapsis aliquot mensibus,
Fiam Licentiatus Juris; *hinc mihi*
Rectè valeo; at quod interim non amplius
Tuo aureo conspectu, & dulcacidis licet
Fruisci basijs; inde ægritudine
Erga te absentem cruciabiliter maxuma
Affligor, Amoris Ætnam intus circumferens.
EUG *Quid audio* Corneli? *tune Academiam*
Invises, & me miseram linques Virginem
Solam in dolore & lacrumis vitam perdere;

O lapides loqueris, quæis cerebrum excutis meum,
O Cor durum, hæccine tua promissa est fides?
CORN. Fateor; sed delicium meum, quæ insciitia est
Adversus stimulum calces? *Sic Genitor meus*
Voluit; cujus mandatis fas est obsequi.
EUG. *Euge, ad aliud mentem tuam vitæ genus*
Retraheres; nam sat multi litteris vacant.
Et, quòd fermè omnes faciunt Adolescentuli, aut
Equos aleres, aut etjam ad venandum canes;
Aut animum ad lætam mercaturam adjungeres,
Et hoc in patria. Nam dulce est patrium solum.
COR. *Quid tu mea* Eugenia *Equos? quid mihi canes*
Quid infaustam mercaturam mihi prædicas?
Equites rarò sunt fideles uxoribus,
Venatores insidiantur meretricibus,
Mercatores expositi mille periculis,
Soli docti modo Amorem firmiter fovent.
EUG. *Quando obstinatè video operam te dare, meum*
Ut consilium rejicias alioquin bonum;
Atq; ita Doctorum prædices constantiam;
Age non libet tecum pugnare diutius.
Sed ante discessum pauca hæc munuscula
A me accipies veri pignus Amoris mei;
Primum annulum hunc, quò tanquam arrhâ digitos tuos
Orno: præterea, & has armillas aureas,
Quas manibus applico tuis: & Strophiolum,
Tibi recens molli contextum pollice.

Habe-

Habeto hæc omnia à me CORNELI, *& boni*
Consulito, atq; animum potius quàm munuscula
Respicito. CORN. *O quas dignes rependam gratias*
Tibi, alimentum vitæ & dimidium animæ meæ,
Meus obsecro sis animus, quando ego sum tuus:
Et, quia nil habeo hîc præter annulum aureum,
Quæso illum recipe à me gratæ mentis loco;
EUG. *Gratiam habeo & ago tibi, tuiq; hoc munere*
Manebo semper memor, abfueris dum mihi!
CORN. *Non possum nunc quin te amplectar mea*
suavitas!
EUG. *Amplectere me* CORNELI. *quando & ut lubet*
CORN. *O mel meum! ô Lubentias! ô Corculum!*
Ut delicata! ut tenera facta es mea Rosa!
Mea coturnix! mea gallina! mea columbula!
Mea vita! mea medulla! mea festivitas!
Ædepol ego posthac amplius nullus fuam!
EUG. *At nulla nulla omninò esse videor mihi*
Hac hora, qua tui pedes fugam parant.
Ah mi CORNELI, Discidium ingens est dolor.
COR. *At* EUGENIA, Redire maius gaudium est.
Si fortiter patieris nunc malum, Bono
Pòst potieris; Mœrorem sequitur Gaudium.
EUG. *Ah recrea me litteris.* CORN. *Fiet, Vale.*
Illa abijt quæ me his ornavit munusculis,
Si Sors volet, mox aliam ijs puellulam
Invenero; Nunc patria Vale cum civibus.

ACTUS PRIMI SCENA QUARTA.

SOPHIA Mater: Octonarij.

Supreme Deus, scrutator humanarum mentium Deus,
Haut auspicatò, quantum intelligo, hinc discessit filius
Meus: Nam pol si id scissem, nunquam hinc tetulisset pedes suos.
Quia hac nocte adeò inusitatum somniavi somnium:
Visus mihi est, simulatq; ingressus urbem erat, statim suos
Adire cives, quos heîc congerronibus pro maxumis
Habebat; nempè SUSIONEM, GRILLUM & SORGIUM, improbos
Bonorum filios parentum; & subitò cum illis strenuè
Potando certare in mediam usq; noctem; dein existimans
Se non teneri lege, in ædes, haut scio cujus, hospitis
Irruere frameâ, & usque ad mortem multare omnem familiam,
Nec multò post, ubi clamarant omnes indignissimè
Factum esse, Lictores certatim cum telis accurrere,
CORNELIumq; eum socijs abducere rectâ in carcerem.
Certè, multa antidhac animũ meum occuparunt somnia,
Sed nullum hoc unquam gravius extitit mihi; Proin Deus
Ne verum illud fuisse audire cogar, animam hanc suscipe
In regna patris tui! Etenim, quæ restent in hac terra mihi
Gaudia, tam filium habenti prodigum, imò totum perditum?

ARGV-

ARGUMENTUM ACTUS SECUNDI.

Scen. 1. JETZT kommen drey Studenten her/
Die sehn Cornelium ohn gefehr/
Empfangen jhn wie es jhm gefelt/
Meinen er komme nicht ohn Geld/
Cornelius aber nichts bringt/
Denn blosse Brieff/ darauff geschwind/
Die drey Studenten vnnützlich
Pochen/ schnarchen/ drewen zugleich/
Scen. 2. Machn jhm ein Depositiõn,
Darauff Cornel bekompt sein Lohn/
Scen. 3. Dessen berümht jhm Susio,
Welchn Cornelius noch danckt darzu/
Scen. 4. Darnach wird er examinirt,
Vnd vom Philosopho absolvirt,
Scen. 5. Vom Rector eingeschrieben auch/
Wie es zu sein pflegt ein gebrauch.

ACTUS

ACTUS SECUNDUS

ACT. 2. SCENA PRIMA.

GRILLUS, SUSIO, SORGIUS, CORNELIUS. Trochaici septenarij.

GRIL. SUSIO! SUS. *Quid est?* GRIL. *Quem hele nobis adventare conspicor?*

SUS. *Certè, nisi me animus fallit, aut oculi prospiciunt mei*

Parum; Condiscipulum olim video nostrum CORNELIUM.

SORG. *Profectò is ipsus est, ocyus contrà tollamus gradum.*

GRIL. *Sit felix tuus nobis adventus* CORNELI *oculissime!*

CORN. *Habeo gratiam tibi* GRILLE. SUS. *Salve* CORNELI *plurimum;*

CORN. *Et tu* SUSIO. SORG. *Salute ego te* CORNELI *faustissimâ*

Excipio. CORN. *Ego eandem iterum tibi* SORGI *lubenter impertio.*

Sed quid in foro hoc ambulatis desides? Ecquid novi est, Quod vos huc moratur? SUS. *Nihil novi, at expectamus in singulas*

Horas, nuncium cum pecunia; si tu ipsus es, nos beas.

CORN.

CORN. *Equidem Sympatriotæ optumi litteras vobis adfero,*
Ast aurum & argentum nunc à me non expectabitis.
GRIL. *Quid solas tu litteras? Quid nos litteras absq; pecunia*
Moramur? putantne Senes stolidi, nos posse aurâ heîc vivere?
SUS. *Ita me Deus juvet, ut ego in Ungariam, Orbis & in ultimas*
Proficiscar partes; videant quod tunc Solatium Filij
Habeant. SOR. *At ego has litteras, in margine tot notis legibus*
Et τερατείαις complebo, ut habeant quod doleat satis,
Illis sordeat si Doctor & Carminifex, Carnifex
Placeat. COR. *Ne mihi sodales boni succenseatis rogo,*
Dedi quòd datum. GRIL. *At quod debetur tibi nondum est datum;*
CORN. *Quid illud est?* GRIL. *Illud quidem cras experieris malo*
Cum tuo. COR. *Vah, jam quid subinnuitis, mens præsentiscit satis.*
SUS. *Phui! quàm hic* BEANUS *fœtet commilitones optumi!*
SORG. *Quid pudet* CORNELI? GRIL. Ita sunt pleriq; homines, quos, cum nil refert,
Pudet; quando pudendum est, ibi eos deserit Pudor.
COR. *Ad pudorem hunc timor mihi creat, quia nondum cornua*

Depo

Depoſui. SORG. *Abſit timor, faceſſat pudor, mihiq; cito*
Joachimicum da, ut cum Curſore agam, ut tecum ſuaviter
Ludat; *Nam benè mihi cum eo convenit.* CORN.
En accipe;
SORG. *Teneo. Nunc ergò te in hoſpitium recipe, ut*
ſis craſtino
Die paratus ad induendum novum hominem. COR. *Gero*
Vobis morem, ſed omnia quæſo bonâ fide. SORG. *Imò*
optumâ.
Abijt Beanus, ha ha he! nunc animus in tuto eſt loco;
Prius negabat daturum ſe nobis pecuniam
Nunc tamen dat, ſic novæ aves captandæ ſunt fallacijs,
Sic ad fraudationem gerendum ingenium callidum!
SUS. *Pejorem ego in orbe hominem, magisq; verſutè*
malum
Nunquam ædepol quemquam vidi, quàm hic eſt noſter
SORGIUS;
Ita ſibi centuriata habet capitis comitia,
Pol! amo te ab imâ calce usq; ad ſupremum verticem!
SORG. *Qui me amat, illum redamo, qui me fallit, rurſum fallitur.*
Sed ſubductis conſilijs extemplò indicate locum,
Ubi liceat argentum hoc in communibus modo gaudijs
Inſumere; namq; hodiè hoſpita nobis ſolet apponere
Cibum formidoloſum dictu, non eſu modo;
Et quas herbas pecudes non edunt, nunc hæc homines
devorant;

GRIL.

GRIL. *Rectè ais; duc nos quo velis;* SOR. *Subsequimini ergò me.* GRIL. *Sequimur.*

ACTUS SECUNDI
SCENA SECUNDA.

AURARIUS Depositor, CORNELIUS, SIMON famulus.

Senarij, Octonarij.

AUR. *Accede huc Domine,* κύριε, *Adonai, Junckere,*
COR. *Sat citò, si sat benè.* AUR. *ut Domino meo placet,*
Venito inquam, vel væ capiti atq; crinibus!
CORN. *En adsum.* AUR. *Hoc video, sed quorsum tu Carnifex*
Distorques os? SIM. *Tu Narrifex, ego Carnifex*
Non sum. AUR. *Quid?* SIM. *Carminifex volebam dicere*
Aur. Hui? quam bonus hic est Corrector! Hem manus
Aselle porrige! En cape istud Osculum!
Num dulce? Consentire videtur qui tacet.
Sed agite! quid jam vobis? responsum date.
COR. *Cupimus, Pater, privari nostris Cornibus.*

AUR.

AUR. *Ergo Beani estis?* COR. *Sumus.* AUR. *Quid ergò Beanus est?*

COR. *Beanus Est Asinus Nesciens Vitam Studiosorum.*

AUR. *BENE.*

Hæc ergo utergè, quæ vobis injicio lora, capessite,
At ego istum penem bubulum retinebo mihi.
Hem! tu istum capiti impone pileum, tu alterum,
En etiam vobis subitò induite has Syntheses.
Estisne satis jamnunc instructi? COR. *Nescio.*
AUR. *Est Asinorum responsio. sed dicite,*
Quo jam tendetis? COR. *In Gynecæum si licet.*
AUR. *O Cochleatores belluli, at ego vos agam*
In fustitudinas ferricrepinas insulas,
ubi vivos homines mortui incursant boves,
ubi flent nequam homines! Hem conjunctim pergite
Pergite conjunctim, pergite; jam subsistite.
Quid? jamne fletis? Heu Phœbus post nubilia?
Satis si fletum, incipite Cantiunculam;
Ego præibo, vos clara subsequimini
Voce, ut vos spectatores omnes audiant!
Ni fiat, onerabo pene hoc vestros pedes.

Depositor, quisquises, tibi liberam fingere pro tempore cantiunculam.

Jam mihi placetis! Cantatum modo satis;
Nunc ego vos animi liberabo angustia:
Adeone Asselli vos isthoc verbo beo,
Ita ut risu saliant pectora; vel Virgines
Hîc adsunt, ut subinde angustos in gyrum
Torqueâtis oculos? Age tu CORNELI *in tua*

Ecquam

Ecquam etiam habuisti in patria pulcram Amasiam?
CORN. *Nullam unquam quod sciam!* AUR. *Dic mihi vera obsecro.*
CORN. *Quod Veritas, dixi!* AUR. *Sed hoc ego nego!*
COR. *At hoc qui potes?* AUR. *Quia me tua Dominatio*
Egregiè fallit; cui si non esset grave,
Inquirerem, anne in hoc lateret sacculo
Puella; Hem CORNELI *cujus quaeso haec manus?*
Certè puellae; Ita alia scandit aliam litteram; Simon
Tu propera nobis hanc praelegere Epistolam; Hic mihi Magister Amatorius componat Epistolam.
At ne nos fallas dico, si fefelleris,
Hos pugnos devorabis: sin pellegeris
Rectè, mox liber eris Beani foetidi.

AUR. Herr Domine Juncker habt jhr eine Eugeniam/
Die euch geschrieben solchen Bulen briefflam/
So muß ich euch doniren vier Rabbuschias/
Ob has, queis imposuisti mihi fallacias,
CORN. *Hei mihi!* AUR. *Si hoc modo vidisset Corculum,*
Ich weiß sie würd mir außreuffn mein Barthüt.
Vos oro, quotquot hoc adestis, Virgines
Nolite flere, sic soleo excipere hospites
Beanos, qui pulcras deperiunt Virgines.
Nunc tu CORNELI *& tu* SIMON *procumbite,*
Ut possim vestra lavare capita, & tergora
Dolare; haut aliter enim modo potest fieri:

Quis Studiosus nisi his peractis ritibus?
Hei quot Venereis totum caput huic tuber est
Humoribus! ijs adferre remedium decet,
Quò expellantur: Aperi OS. COR. *Me ludis.* AuR. *Egone te*
Heîc ludam? Intermori malim me pessumo
Letho; COR. *Moc Moc:* AuR. *Quid Moc Moc? Quin es hunc panem?*
COR. *Annon dixi futurum tu ut me falleres?*
AuR. *En Saccharum ut animales redeant spiritus:*
Quid tu verò bone SIMON? *an & sunt tibi*
Humores noxij? SIM. *Non.* AuR. *explorem sine!*
Hui! quam validè hujus sese cerebrum movet!
Credo Cyclopas immigrasse in hoc caput,
Hoc qui intus feriant alternatis ictibus;
Ejiciendi herclè sunt; Age tu, meum incipe
Hanc ingeminare formulam, Pincpanchij!
SIM. *Pincpanchij, Moc.* AuR. *Quid? Nunc etiam nidor malus*
Ferit nares? En ut certatim spiritus
Mali evolant! viden' CORNELI? COR. *maxumè,*
AuR. *Et etiam illius Arcadicum dentem?* COR. *oppidè.*
AuR. *Quin tu etiam hujus Simon dentemq uassatulum*
Propendere vides? SIM. *Ita.* AuR. *Nempe ludibrio*
Sunt vobis inter alumnos Musarum, Ergò eos
Hoc eximam manubrio reciproco.
En ecce evolsi sunt! vah quàm sunt marcidi!
Agite ambo jam subitò proni procumbit e,

ut hoc

Ut hoc dolabro vestra tergora lævigem.
COR. *Hei scapulas!* SIM. *Heu nates meas!* AUR. *Omittite*
Querelas, aut vobis duplicatis hoc malum.
COR. *Eheu precamur!* SIM. *Supplicibus heî parcito!*
AUR. *Ocyus ergo surgite & illi agite gratias*
Qui fecit ut Studentes censeamini.
COR. *En Marcam Lubecensem, dehinc ego referam*
Semper majores tibi pro merito gratias.
SIM. Ich wil euch auch wol Morgen ein Kranckgelt geben.
AUR. *Jam mecum ad Philosophum comitemini hac viâ*
Ut ós vos absolvat.

ACTUS SECUNDI
SCENA TERTIA.
GRILLUS, SUSIO, SORGIUS.

GRIL. *Benè prosperèq; hodiè hoc operis succeßit nobis,*
Nam nulla voluptas magis animum meum exhilaravit
Quàm isthæc faceta modo depositio CORNELÎ!
SUS. *Si quam voluptatem cepisti* GRILLE, *acceptum*
Id soli mihi referas. Etenim adfui CURSORI
Et hæc gaudia nostro CORNELIO *curavi.*
SORG. *Laudo te* SUSIO; *nempè hoc est in Academias*
Proficißi, & non adferre suis civibus argentum;
SUS. *At quæso ne ex vobis resciscat istas technas!*

GRIL. *Nihil est quod metuas, ille nobis insuper adhuc*
Lautum instruet convivium; postquam à Decano
Examinatus; At ecce Lupus in fabula est, St.

ACTUS SECUNDI
Scena Quarta.

PAULUS Philosoph. CORNELIUS, SIMON.
Senarij.

PAUL. *Procumbite ad genua: quæ vestra est patria?*
COR. *Livlandia.* PAUL. *Quos sodes præceptores domi*
Habuistis? COR. *Sedulium, Phylum, Ponocratem.*
PAUL. *Vah! Hi nunc sunt Germaniæ pol lumina;*
Quos illi vobis explanaverunt libros
In litteris, in liberalibus artibus,
In optimis quibusq; studijs; quæ quidem
Virum bonum atq; ingenuum scire condecet?
COR. *Herodotum, Thucydidem, Cornelium*
Tacitum, Livium, Apulejum, Arnobium,
Platonem, Aristotelem, Sophoclem, Tullium,
Plautum, Terentium, Virgilium, Statium;
Horatium, Iuvenalem, Senecam, Persium,
Nasonem, atq; alios plures ex simili foro.
PAUL. *Omnes veræ eruditionis præsules*
Sunt, atq; antistites, quos planè ediscere
Iuvaret, si sufficeret ingenium tuum.

Sed

Sed age! quidnam tu de Apulejo judicas?
COR. *Quid aliud, niſi quod literarum lumina*
Quos tu dixiſti præceptores optumos,
Gravibus verbis excultum, & ſapientiſſimis
Sententijs perquàm eſſe ſtipatum librum;
PAuL. *Idem & ego ſentio, probans clariſſimos*
Patronos, ut Capitolinum, Lactantium,
Auguſtinum, Marcellinum, Macrobium,
Servium Honoratum, Iſodorum ac Aurelium
Caſſiodorum, Priſcianum, cum Fulgentio,
Cum Colvio, cum Nanſio, & Volcanio;
COR. *Iſthæc quidem ignota mihi ſunt nomina, at tibi*
Heîc tantum, quantum præceptoribus meis
Largior, inprimis quando ornamentum ad Styli
Atq; eruditionis inde exceperim
Acceſſum haut exiguum. PAuL. *Ecquam obſecro breviuſculam*
Tenes adferre ex Apulejo ſententiam?
COR. *Teneo.* PAuL. *Dic ergo ſodes.* COR. Ubi uber, ibi tuber.
PAuL. *Pol tu me iſthac reſponſione, gaudio*
Totum delibutum reddis, ô mihi liberi
Forent tali ingenio & memoria præditi!
Ecquid verſatus es in antiquitatibus?
COR. *Ita ſum.* PAu. *Age cedo, Pileus apud Antiquiſſimos*
In quo uſu fuit? COR. *Adverſus pluvias, illius*
Adeò ut per vatem Aſcræum fiat mentio,
Quando pulcrè monet; Tibi Pileus eſto paratus

In capite, ut minimè madefiant imbribus aures.
PAuL. *Quale fuit signum?* COR. *Libertatis, & nisi*
Me fallit animus, apud Romanos. PAu. *Optimè,*
unde ejus ducitur Etymon vocabuli?
COR. *A materiæ ratione parandæ, quà ferè*
Fit Ἀφὸ τὸ πιλῶν, *quod est, si rectè adhuc scio;*
Condensare, coarctare. PAuL. *Pol rectissimè*
Respondes, horum tu fili carissime
Ne obliviscaris oro, quæ polcrè tenes,
Concipio mihi de te spem maximam; hinc modo
En accipe Sal sapientiæ & Vinum tibi,
In nomine Patris, Filij, & sancti Spiritus,
Discede in pace.

ACTUS SECUNDI
Scena Quinta.
AURARIUS, FRIDERICUS, CORNELIUS.
Senarij.

AuR. *Magnifice Domine Rector,*
Adest Studiosus qui cupit nomen dare
In Matriculam. FRID. *Ædepol vix illi ego vaco*
Alijs onustus rebus; accedat tamen,
Tantillum temporis meis laboribus
His subtraham. AuR. *Heus* CORNELI, *te voco!* COR.
Quis vocat
Me?

Me? AURA. Ego, proprius ad Magnificum huc accesseris;
COR. Magnifice Rector, rogo tua Magnificentia
Me in album referat Studiosorum. FR. Quando age
In nostram venisti Academiam? COR. Ante triduum.
FR. Adeon' recens? quando amisisti cornua?
COR. Vix hora abijt. FR. Benè est, quod est nomen tibi?
COR. CORNELIO. FR. Illud nomen hîc clarissimum
A conscientiâ malâ, tu reddito
Illud felicius ut in omen exeat;
Sed quoniam intelligo te privilegijs
Fruisci nostris velle, has leges pellege,
Quas te observaturum probè, mihi dabis
Jusjurandum, huic tabulæ impositis primoribus
Digitis.——————— Hic recitet leges Academiæ & addat juramentū.
FR. Dedisti grande jusjurandum; ergò vide
Ut serves, quò animus tuus in portu naviget.
Nunc ecquid habes argenti, quod Academiæ
Debetur fisco? COR. Habeo, modo quantum solvere
Me deceat indicetur, FRID. Florenum, sies
Parentum si proles mediocris ordinis;
At si patricius, partem numerabis duplam.
CORN. Patricium me dicunt; Habe ergò quod petis.
FRID. Habeo lubens; Tu nunc vale, & benè ambula.

ARGUMENTUM GERMANICUM

Actus tertij.

Scen. 1. Als nun Cornelius deponirt,
Macht er sich bald zu einem Wirdt/
Ein köstlich Mahl er jhm bestelt/
Lest es nicht mangeln an Gold vnd Geld.

Scen. 2. Die Wirtin abr Lubentiam
Schilt/ daß sie nicht bald fort wil gahn.

Scen. 3. Darauff sie die Studenten mild/
Mit wunderung veracht vnd schilt.

Scen. 4. Cornelius aber seine Gest
Fein thut tractiren auff das best/
Lesst nichts mangeln an Bier vnd Wein/
Damit sie mögen frolich sein.

Scen. 5. Darauff sie Asmum vberlauffn/
Vnd werffn jm thür vñ fenstr in hauffn/
Der Wachtmeistr aber thut das sein/
Führt sie ins Finckenbawr hienein.

Scen. 6. Lesst es darbey nicht also bleibn/
Thut sie mit klagn fürn Rector treibn.

Scnn. 7. Weil aber Sorgius mit list
Dem Hansio entflohen ist/
Mit sorg bekompt er grosse Grillen/
Weiß nicht wie er die Sach soll stillen.

Scen. 8. Der Rector aber den Grillum
Strafft ernstlich/ sampt Cornelium,
Vermahnt sie daß sie fürder fein
In frömmigkeit still sollen sein.

ACTUS

ACTUS TERTIUS.

ACT. TERTII SCENA PRIMA.

CORNELIUS, HOSPITA, LUBENTIA.

Senarij.

COR. *Sis salva muliercula.* HOSP. *Salve iterum tu bone*
Adolescens, mene quæris an virum meum?
COR. *Primum omnium tuum maritum, deinde te*
Quoq; admonendam censeo; sed ille ubi est?
HOSP. *Ecastor illud nescio, solus abijt,*
At si quid rectè in nostris ædibus velis
Tibi curatum, manda mihi; nam sola ego
Imperium hic teneo; Servus, Serva, Liberi
Mihi soli audiunt, ille observat libros,
Ecclesiam, & Pastores, mihi domesticam
Committens curam. COR. *Quisquis is est, mihi placet;*
Dicam ego tibi, quid mihi discupiam; vesperi
Epulari & exporrigere frontem destino,
Cum GRILLO *&* SORGIO *meis popularibus,*
Proinde quæso memento adire tempori
Forum cupedinarium, & mercarier
Capos duos, anatesq; totidem, & anserem
Armumq; arietis dexterum; Quin & duas
Carpas, aliquotq; turdos atq; fundulos;
De vino & vitris ipse sollicitus ero;

En accipe Rosam hanc nobilem; fortè amplius
Hoc si quid exposueris, reddam crastino
Die, bona fide. HOSP. *Hæc omnia ego tibi lubens*
Expediam mi CORNELI, *tu fac hospites*
Tui nobis ut adsient in tempore,
Ne mihi molesti sint noctem per integram;
Mittam desubitò hinc in macellum atq; in forum
Meam gnatam Lubentiam; Heus Lubentia!
Statim cum Trullulalulla *hinc exito in forum,*
Emptum hàc pecuniâ armum Vervecis dexterum,
Duos anates, duos Capos, unum anserem.
Præterea aliquot Carpas, turdos & fundulos.
LUB. *Fiet mater, liceat modo crines meos*
Aptare rectè capiti. HOSP. *Modo fiat citò!*
COR. *Curabis rectè ô pulcherrima Lubentia!*
LUB. *Ne super hac re* CORNELI *vel quicquã ambigas,*
Hodiè horâ sextâ cuncta parata erunt tibi.
COR. *Abeo ergò & ipse meos invitatum hospites.*

ACTUS TERTII
SCENA SECUNDA
HOSPITA, LUBENTIA, TRULLULALULLA.
Scazontes Senarij.

HOSP. *Heus heus! ubi es* LUBENTIA? *illicò prodi.*
LUB. *Nondum indui vestes, nec collegi crines*
In nodos, neq; enim fuere comas quo ferre;

HOSP.

HOSP. *Semper, quoties tibi exeundum est, abit annus;*
Priusquam te exornes, propera, ne occupent largæ
Te pluviæ, Chasma, fulgur, tonitrua & venti;
LUB. *Quid tibi mea nunc tonitrua somnias mater*
Hoc mense Martio? HOSP. *Loquacula hanc linguam*
Comprime, prodiq, videsne glomerarier atras
Ab Austro nubes, & polum obduci, perge
Perge inquam, ipse eventus probaverit dicta;
LUB. *Nihil periculi est;* HOSP. *Quin sonuit hora secunda*
Credo quod ab aurora usq; ad hoc quod est lucis
Nunquam exornari, fingi, pingi, cessasti!
LUB. *Nihil refert; jam sat sum mea mater compta;*
HOSP. *Utinam madescas ad vivam cutem Stulta!*
ut debitam feras mihi mercedem, quod
Sic obstrepas semper & obgannias matri;
LUB. *Ne mihi subcenseas mater, modo discedo;*
Age subsequere me Trullulalulla *cum corbe*
Majore, habebis quod te fessam sat reddet;
TRUL. *Subsequar ut experiar meas vires.* LUB. *perge.*

ACTUS TERTII

SCENA TERTIA

HOSPITA.

Octonarij.

Quã stultũ genus hominũ Tyrones impendẽdis sumptibus,
Qui cum à parentibus in Academias vix venerũt, statim
Cottidiè convivia delicijs popinalibus instruunt;

Potanti

Potantq; aßiduùm & helluantur, dũ loculi adhuc tinniunt,
Post omne ubi eſt argentum inſumptum, in luctum & lacrumas cadunt,
Rem, Nomen, Amicos, Gloriamq; amittunt puncto temporis,
Haut unquam intelligunt juvenes, quàm magnum parſimonia
Siet vectigal, ſed cum damno hoc multi diſcunt maxumo;
Metuo idẽ hoc Cornelio, mihi qui Roſam hancce nobilem
Hodiè dedit, quò veſperi illi cœnam dubiam apponerem;
Dimidium ſi dediſſet, ſatis id; Sed mundus vult decipi,
Et ſtultæ ſanè mulieres, quæ nõ accipiũt, largiter
Quod datur; Haut etenim ornantur à maritis nummis aureis,
Sed potius in nos exercent pugnos ſuos, domare quos
Decebat in muros; *Nunc eſt tempus repetendi ædes meas,*
Ut & caro & piſces coquantur; & præſtolor hoſpites.

ACTUS TERTII
SCENA QUARTA.

CORNELIUS, GRILLUS, SORGIUS, SIMON, DONATUS, HOSPES, HOSPITA, LUBENTIA, TRULLULALULLA.

Trimetri.

COR.

CORN. Parata est hospita cœna ut dudum petieram?
HOSP. Sic factum, Sed ubi tam diu tui hospites?
Profectò ferculis tuis nocet hæc mora;
COR. Adstant præforibus. HOS Quin jubes has ingredi
Ædes? COR. Iam fiet; Heus SORGI & GRILLE illico
Accedite, omnia sunt parata, vos hera
Expectat intus. GRIL. In nobis nulla mora erit,
Namq; intestina nunc nobis diu crepant,
Dudumq; dentes convenisse cibum volunt;
COR. At mea mens est per Bacchum tota in poculis!
SORG. Salve ergò CORNELI. COR. Salvete iterum
mihi.
HOSPES. Salvete mihi optumi hospites, in tempore
Ad nos venitis, quod rerum nunc omnium
Est primum; quæso procedite, ne ferculis
Prolixa oratio noceat; namq; omnia
Parata sunt in ædibus. HOSPITA. Venire vos
Ex animo gaudeo. LUB. Mihi gratissimus
Adventus vester. GRIL. Habemus gratiam omnibus.
COR. Heus puer adesdum hèic instrue mensam, & fercu-
Curata apponi, ut accumbamus illicò. (la
DON. Quin ecce! mensa adornata est & fercula
Huc fert ancilla. COR. Mox SIMON manibus dato
Nostris aquam. SIM. Faxo here lubens, en adfero.
COR. Age tu DONATE hèic interim vitra elue;
Tam magna quàm parva; hilaris namq; esse cupio.
DON. Fiet. COR. Nũc ergò accumbamus, te transfer huc
GRILLE latus in dextrum, tu SORGI hoc claudito
sini-

Siniſtrum, at tu hoſpes ſcamno hunc inſide, & meos
Jucundis hoſpites exhilarato jocis;
Ego hunc tenebo locum, ut ſi modo liceat tuâ
Pace impetrare, poſt adſideat mihi huc
LUBENTIA, *& nobiscum chartis luſitet;*
HOSP. *Per me licet, modo ſi libet; vos hoſpites*
Depremite quùſq; cultrum, & ſumite quod juvet
Palatum, nam de capiundo cibo, hoſpites
Idemtidem admonere, non moris mei eſt;
GRIL. *Ego quidem dum venter inanitate adhuc*
Mihi murmurat, glutiendo nulli ceſſerim;
CORN. *Quid tu verò* SORGI, *annè hodiè jejunium*
Tibi indixiſti, aut nihil appoſitum quod placet?
SORG. *Tace ſis, namq; ego latrantem atq; iratum ſatis*
Placavi ventrem. COR. *Ergò ἀπνευσὶ tibi integrum hoc*
Propino vitrum. SORG. *Benedicat Bacchus tibi.*
CORN. *En reſponde!* SORG. *Ne dubites.* HOSP.
At tibi præbibo
Hunc GRILLE *cantharum vel ternis hauſtibus.*
GRIL. *Laudo te, mi Hoſpes, & habeo gratiã.* HOSP. *Puer*
Infunde rectè. DON. *En recipe;* HOSP. *En Grille can-*
Quem præbibi tibi, ut ſcis, ternis hauſtibus; (tharum
GRIL. *Memor ſum, Sitio; Quare Corneli citò*
Te jubeo eodem iterum hoc ſalvere cantharo
Ad Hoſpitis legem. COR. *Agedum* GRILLE *perplacet;*
SORG. *At ne ſolus ego triſtis videar, Hoſpes hoc*
Tibi propino vitrum ternis ordine
Vicibus, vacuandum abſq; reſpirationibus;

HOSP.

HOSP. *Nullus me terres; Hospes hic, ingentibus*
Assuetus trullis, nil moratur talia
Vitra. COR. *Heus! adduc tibicines Puer.* GRIL. *Prius*
Moduletur nobis gratam cantiunculam;
COR. *At non potest.* GRIL. *adducat igitur; interim*
Meus Menalcas audiemus quid queat;
Incipe. HOSP. *Tibicines rectâ ad nos advolant.*
COR. *Removeatur confestim mappa cum cibo,*
Nam conspicor omnes quod vos satietas tenet.
HOSP. *In tempore venitis boni viri.* COR. *placet*
Quod tam propere adestis; agite vestrâ Musicâ
Nos recreate, habebitis quod petieritis modò.
GRI. *Hem placet.* COR. *Ah hospes accedat* LUBENTIA
Ut ludat paululum nobiscum chartulis!
HOSP. *Concedo; sed prius à matre veniam impetres,*
Nam mater sola imperium in filiam tenet.
COR. *Ego abeo adductum Virginem, vos optumi*
Sodales ista vitra, & hosce cantharos
Evacuate, Puer tu fasciculos citò duos
Jube chartarum nobis huc adferrier,
Quorum unum trade Grillo, Sorgio, & Hospiti,
Sed alterum mihi serva, & LUBENTIÆ.
GRIL. *Heus Hospes tibi Latinum poclum præbibo!*
HOSP. *Lubens excipio & summas ago gratias.*
SORG. *Tibi vero Grille præbibo* Curle, Murle, Puf.
GRIL. *utinam te Bacchus amet Sorgi, fideliter*
Tibi respondebo; sed redit CORNELIUS

Secum

Secum adducens LUBENTIAM; Heus suavissimè
CORNELI pro felici reditu, poculum
Prætorium hoc propino. CORN. bibito candidè,
Totumq; exhaustum mensæ imponito mihi.
GRIL. Ne dubites, num tu de me aliter expertus es?
CORN. Agite sodales, nunc parumper ludite,
Vobis fasciculum sumite unum, ego alterum
Accipio, ut virginem hanc aliquâ pecuniâ
Emungam. LUB. Dij te perdant istoc verbulo,
Me si vis ludere, non ludam tecum. CORN. ah tace,
Et distribue folia. LUB. Sed quo nos pignore
Certabimus? CORN. Tu strophiolum ponas tuum:
Ego meum annulum; hunc, si modo futura sis
Victrix, auferto; ego eâdem lege tecum agam;
LUB. Age lubet: Fortunam experiar. CORN. Lubet
Et mihi; tu prius emittis. LUB. heus bone, heus bone
CORNELI, vici hunc ludum, hic annulus est meus;
CORN. Habeas cum veniâ, sed redintegrabimus
Adhuc alium lusum. LUB. Ut placet. CORN. Rursum
annulum
Depone. LUB. Equidē annulū haut recipies, strophiolum,
Si quid vales, vincas. COR. Quod Fors ferat, ferā
Lubens; En contra hanc auream pono crucem;
LUB. Mitte folium, vincam te iterum certissimè.
COR. Ingratum nuncium. LUB. Ut ut sit, vici denuò;
Vici CORNELI, pignus utrumq; est jam meum.
COR. Venus te amet cum istac Fortunâ, haut amplius
Tecum hodiè faciam periculum. LUB. Vah rideo!

COR.

Quiesce tandem, nihil est perpetuum datum;
Fortuna humana fingit artatq́, ut lubet;
Quod hodiè vicisti cras fortè reddere
Coget Fortuna; Lusui nulla est Fides.
Quin præbibo tibi hoc vitrum LUBENTIA;
LUB. *Haut stulo* CORNELI. COR. *Responde quid aliud*
Et vicinum saluta. LUB. *At omnes dormiunt;*
COR. *Heus heus sodales numne cuncti mortui*
Estis tot inter pocula? heus citò surgite,
Erigite capita, aperite oculos, atq́ bibite, aut
Discedite in vestras domos. SORG. *Quota sonuit?*
CORN. *Quid quæris? decima instat!* GRIL. *Vah hoc caput meum!*
CORN. *Quid caput ingeminas?* LUB. *Ego matrem adducam meam.*
COR. *Quæ isthæc est dementia ita ad mensam stertere?*
Vix quatuor aut quinq́ evacuastis mensuras
Et tamen accepistis madulsam pessimè.
HOSPIT. *O filij! non dormiendi hic est locus,*
Quem somnus premit, is eat domum, atq́ crapulam
Edormiat. COR. *Heus Simon, juva nos.* SIM. *Surgito;*
Nihil respondes? credo lingua huic homini excidit;
Sorgi! quid ebrius irructas in os mihi?
SORG. *Tace, suavis ructus mihi est sic sine modo.*
CORN. *Quid Grille moraris?* GRIL. *Adhuc ego gestio ludere*
Cum Trullulalulla. TRUL. *Dij te perdant cum tuo*
Lusu; num tu meretriciam me operam putas

Dare? GRIL. Ne exclames ita Virgo. TRUL. Quidni exclamitem?
Scelus es impure, proin abi in malam crucem;
GRIL. Heus! istoc pro verbo, si vivam, aliquando erit
Ubi me ulciscar. TRUL. Quod mihi minitare, est in diem;
GRIL. Pergas tu istac, ego hac meam instituam viam;
Holla Hoscha Ho! Sequimini Socij, in proxumam
Vinariam ibimus tabernam; nam sitim
Omnem nondum extinxi. COR. At ea dudum clauditur.
GRIL. Ad Asmum igitur rectà contollamus gradum!
COR. Pol! tecum sentio. SORG. Pol! & ego subsequar.

ACTUS TERTII
SCENA QUINTA.

GRILLUS, SORGIUS, CORNELIUS, ASMUS, HANSIUS cum vigilum catervâ. Senarij.

GRIL. Heus! Heus! ASM. Quis es? GRIL. Aperi Hospes. ASM. Hautquaquam tibi.
GRIL. Aperisne Caupo pestilens juveni probo?
ASM. Non censeo ebrios probos. GRIL. Trifurcifer
Adhucne conventa, veluti scis, servas rata?
ASM. Conventis sto staboq; non nocte at die,
Nunc dormiendum non potandum, proin abi.
GRIL. Hē CORNELI atq; SORGI adsistite huc mihi,
Ut hunc maledictis oneremus quàm plurimis;

Scele-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757649904/phys_0070
DFG

Sceleste. AS. Ita est. COR. Socifraude. AS. Ita est.
SORG. Trifurcifer
AS. Papæ! GRIL. Sacrilege; AS. Vera vaticinamini.
COR. Pestis perniciesq; Adolescentum. AS. acerrimè.
SOR. Fraus populi. AS. Validè. GR. Impure leno! AS. ma-
GR. Ignaviæ præses. AS. licet. COR. Jactantiæ (ximè.
Princeps. AS. licet. SOR. Rex Impudentiæ. AS. licet.
COR. Edax, furax, fugax, rapax, trahax. AS. licet.
GRIL. Mendacium, voracium, rapacium;
Et helluantium Imperator, heus! AS. licet.
COR. Licet ergò & nobis ostium hocce frangere,
AS. Licet ergo & mihi vos ad Rectorem audaciæ
Tantæ accusare. HANS. Accurrite vigiles citò
Et grassatores hos cædite venabulis,
Cædite alacri animo, ne aufugiant; rectissimè,
Adducite quos tenetis. CORN. Euge nos sine,
Retinebis nostras frameas, pileos, pallia.
HAN. Imò hæc retinebo, vosq; rectà in carcerem
Abducam; ibi nocte hâc vestrum hospitium fuat;
Præterea vos cras ad Magnificum deferam;
Is vos docebit, quî nocturno tempore
Aliorum liceat januas confringere;
GRIL. O miserum hospitium, quæso tu monstra viam,
Mihi enim ignota est. HAN. Quid ais? quid cunctaris diu?
COR. Ego vaco culpa. HAN. Hoc cras Rectori dixeris.

ACTUS TERTII SCENA SEXTA

HANSIUS, FRIDERICUS, VALENTIUS.

Senarij.

Magnifice Rector; iterum venati sumus
Hac nocte, & Lepores tandem cepimus duos,
En illorum spolia! uterq; dati sunt citò
In caveam. FRID. *Demiror profectò, insania hæc*
Quò tandem evadet? tot turbas modò movent
Degeneres illi nati, ut totum Musicum
Dehonestent cœtum, facta vel turpissima]
Sibi mera persuadent esse καταδώματα:
Æquum est, in istas noctuas ut justius
Statuatur exemplum, quod alios terreat;
Quid verò perpetrârunt, commemora mihi?
HAN. *Tres numero erant, hi penè sub horam tertiam*
Forum boâtu cum magno transcurrere
Et pergere rectâ ad Asmi Cauponis (sibi
Qui nuper duxit pulcram uxorculam) domum.
Quò postquam pervenerunt, illicò hospitem
Ceperunt provocare, atq; intromittier
Voluerunt; Asmus illos ebrios, simul
Et mediam abisse noctem intelligens, crebrò
Negabat aditum, at illi tum ferocius
Et calcibus insultabant januæ, inq; eum

Gere-

Gerebant hospitem maledicta plurima; (mnia
MAG. Quid verò hospes? HAN. Quid? devorabat o-
MAG. Sed annè tum vos prosiliebatis? HAN. Minimè,
Perpendentes in angiportu sistimus. (sed
M. Quid ergò ulterius? HAN. Quando operam & o-
Se perdere, frameas vaginâ liberant, (leum videns
Ipsiq; januæ & fenestris vim inferunt;
Mox proruunt vicini foras, atq; uno
Exclamant ore, factum esse indignissimè:
Ibi ego tandem meâ hasta socijs innuo,
Qui subitò in ipsos armatâ insurgunt manu,
Unum in fugam agunt, duos dejiciunt in fugâ,
Quos captos rectâ inde abduximus in carcerem.
M. O facinus audax, & ferendum nullibi!
Sed ecquid præfecte Vigilum illorum tenes
Nomina? HA. Non teneo. MAG. Pœnam debitam luent
Mihi, modo sint inscripti. Huc quæso revertere
Secundâ; ego interim expiscatum nomina;
Ad eos meum mittam Valentium. HAN. Vale.
MAG. Valenti, ad Studiosorum caveam te citò
Hinc aufer, & pete inclusorum nomina;
Si videro esse alumnos nostræ Academiæ,
Secundâ emittentur. VAL. Abeo ut eos interrogem.

ACTUS TERTII SCENA SEPTIMA,

SORGIUS.

Scazontes.

Quàm nunquã Dij immortales fecundæ res
In poclis conſequuntur exitum lætum;
Gravis quin mæror hinc ſequatur à tergo:
Meo malo id nunc etiam intelligo demens;
O Corneli! quam nimis infauſto me & Grillum
Excepiſti tempore; quàm ſtulte autem Grille
Factum, quod cum usq; omnes eramus oppleti,
Ut vel nullum officium ſuum faceret membrum;
Nos tamen ad Aſmum tecum allexiſti, & nocte
Quidẽ intempeſta. O muſtum! ô vinum! ô Zythe!
Quid nõ efficitis? quid non? ubi animos noſtros
Semel occupaſtis; Sed quid confero culpam
In muſtum, in vinum, in Zythum, quæ loqui haut poſſunt?
Namq; iſta fabulari ſi poſſent, ſeſe
Probè defenderent; Nos nos ſumus in culpâ
Qui larguiter nimis ita indulſimus poclis;
Nunc quidnam iſtoc certamine vicimus? Certè
Nil præter famam; ego venabulis bellè
Percuſſus, teſtes ſunt ſcapulæ, caput, tergum!
Sodales inſuper in caveam conjecti ſunt,
Quæ, me ſi prodiderint, adhuc mihi reſtat.
Expromoto opus eſt conſilio mihi; Eos inviſam
Rogatum, ne vocati in quæſtiones, me
Forsàn ſuis reſponſionibus prodant.
Adibo ſubitò, ut rectè congruant cuncta,
Sibiq; ubiq; hæ res conſentiant polcrè.

ACTUS

ACTUS TERTII
Scena Octava.

FRIDERICUS Magn. R. JUSTUS Adsessor. PHILIPPUS Notarius. VALENTIUS Cursor. HANSIUS Præfectus Vigilum. CORNELIUS, GRILLUS, ASMUS.
Septenarij.

FR. *Ubi sunt Bibones & Nebulones isti perfidi?*
VAL. *In vestibulo ambulant uterq;.* FR. *Accedat Grillus huc.*
VAL. *Grille heus! vocaris ad Magnificum.* COR. *Sis animo bono,*
Atq; intrepida consistent verba. GR. *Mea mẽs metu vacat.*
FR. *Quis te Sinister Génius hac nocte agitavit Scelus?*
Tantũ ut patraris facinus. GR. *Vis herclè illata est mihi.*
FR. *Etiamne quereris?* GRIL. *Immò me immerentem in carcerem*
Fœdum protraxit Imperator Vigilum pessumus.
FR. *Tun' immerens qui omnes boatu complesti vias?*
Qui stricto ferro in januam cauponis impetum
Fecisti? qui illius pariter non veritus frangere
Fenestras? & tot maledictis hominem perstringere?
GR. *Factum nego.* FR. *memorem esse mendacem decet, modo*

Gladio peribis ipse tuo: Valenti heus! Hansius
Accedat: Hic Præfecte Vigilum secum iniquè ait
Actum. HA. Ast ille reliquorum erat antesignanus, nihil
Intentatum linquebat linguâ, framcâ, lapidibus,
Testes mei omnes sunt sodales. FR. Quid Cornelius
Ille alter, albæ quem ferunt Gallinæ filium?
HAN. Is nulli cedebat, at omnes clamore vincere
Studebat, nec cædendo nec feriendo januæ aut
Fenestris parcebat. Quin hosce tertius, fugam
Qui cursu sibi quærebat adjuvabat strenuè.
FR. Quis ille tertius Sympotes, qui sese in pedes
Conjecit? GRIL. Ille ignotus venit nobis obviam.
JUST. Tu nos videris decipere, imò etjam nos decipis.
GRI. Hoc absit Domine Doctor; adepol non novi eum;
JUS. Quid si convincaris mendacijs? GRI. Lubens luam
Pœnam. JUST. Heus Valenti nobis accersas Cornelium;
Vos interim parum secedite, dum revocamini.
VAL. Corneli accerseris. FR. Egregius miles sub poculis,
Ecquid pudet tantas dedisse turbas tempore
Nocturno? COR. Nullas Rector quod memini, turbas dedi.
FRID. Utrumq; nôris, unum si nöris. JUST. Nega am-
plius.
CORN. Faterer certè, si mihi culpæ conscius forem.
IUST. Responsio elegans; Quòd tertio nomen fuit?
Qui vos reliquit in certamine. COR. Illud nescio,
Is solus tot tumultus movit, nosq; in carcerem
Perduxit immerentes. JUST. Vos nulli ergò noxij
Fuistis? COR. Nulli omninò. FR. Heus istis vos mendacijs

Dupli-

Duplicabitis malum. COR. *Nulla ego finxi mendacia,*
Fòrs Vigilum Præfectus, Studiosorum osor maxumus
Falsi nos arguit facinoris. FR. *Is dixit mihi*
Quod verum. Sed etjam Caupo vobis scribet dicam.
COR. *Et ipse didicit nos alienæ culpæ reddere*
Reos. FR. *Id audietis; Heus Caupo! nosti hos duos?*
ASM. Pernovi. FR. *Loquere verum, Ecquid clamarunt?*
ASM. Maxumè.
FR. *Et januam tuam pulsarunt? ASM. Validè.* FR. *Et impetum*
In eam & fenestras fecerunt? ASM. Ita. FRID. *Et convicijs*
Te onerarunt? ASM. Plurimis. FRID. *Audistin? plures præter hos?*
ASM. Adhuc unum, cujus vox nota, at nomen nescio.
COR. *Is solus hæc omnia fecit.* FR. *Tace sis: Age quid de-*
AS. Commoti vicini veniunt foras, & clamitant, (hinc?
Vim mihi fieri; Quod audientes instructi suis
Armis, concurrunt certatim Vigiles, & Ventus ut
Folia, sic subitò hos dejiciunt humi: Sed tertius
Aufugit. HAN. *Sic res habet, ut commemoravit ordine.*
COR. *Vt te Dij Deæq; cunctæ perduint tuis*
Istis mendacijs, mox te pugione hoc, peßime
A vitâ abjudicabo. GR. *At ego te huc collo mox traham*
Obstricto in fœtidam cloacam, unde haut emerseris.
HAN. *Ohe, ego non pluris istas prægrandes minas tuas*
Facio, quàm nostram ancillam, quæ mihi latrinam lavat,
Facias periculum, nondum nosti hos pugnos meos;

GR. Necdum tu nostros. PHIL. Linguam quaeso compescas, tace.
COR. Quis is? PHIL. Maledicere huic tu temperabis, si sapis.
GRIL. Satis pro imperio. FRID. Quanta haec audacia! quiescite
Et secedite tantisper, donec vos revocavero.
FR. Uterq; victi. Quali ergò tua Excellentia
Eos plectendos censet multâ? num levi? IUS. gravi
Profectò digni sunt poenâ istâc pro petulantiâ,
Proin aut triginta florenos dabunt, aut carcere
Per septimanam detinebuntur durissimo.
FR. Haec multa perplacet: Age Vigilanti redeant duo
Isti juvenes. VAL. Corneli & Grille vos Rector vocat.
FR. Audistis Hansij & Cauponis testimonia
Quàm congruenter contra vos uno ore exposita sint,
Quare ista facili auditione credenda omnia
Fuere, Vosq; adeò digni estis, latis legibus,
Et poenarum ut severitate eamus obviam
Vestrae petulantiae. Nil hîc valet purgatio,
Conditio ergò mulctae sit vobis proposita duplex,
Cujus utram voltis optionem sumite,
Vel enim fisco triginta florenos Academiae
Numerabitis, vel conjiciam vos alium in carcerem;
Ex quo prodire non licebit, donec abierint
Dies octò: nunc alterutrum vobis eligite, mox;
COR. Magnif. Rector nobis neutra conditio placet;
FR. Id credimus! Neq; nobis vestra placet petulantia;

IUST. *Quid cessatis? Valenti abi reclusum carcerem;*
GRIL. *Valeat ingratus carcer, nos dabimus pecuniam,*
Sed præscripto numero aliquid remittatur rogo.
IUST. *Quantum ergò dabitis.* GR. *Mihi tantum Rhenanus unicus*
Adhuc superest, quem mater, cum discederem domo,
Dedit, hunc dabo. CORN. *Mihi adhuc est integer Ioachimicus*
Hunc habeatis. IUS. *Meditata hæc cuncta & comparata sunt*
Derisui, quod æquâ mente ferre non decet,
Abite in carcerem. COR. *Non, herclè, vos illusimus;*
Hoc tempore nobis in promtu non plus pecuniæ est.
FR. *Promittitis, vos intra quatuordecim dies*
Daturos? CO. *Sic, sed numerus imminuatur quæsumus.*
FRID. *Numerabitis ergò quindecim, sed volumus sine mora.*
COR. *Spondeo.* GRIL. *Promitto.* FR. *Nunc quod leges nostræ postulant;*
Quodq; officium meum requirit inimicitias
Componã, quæ sunt ortæ inter vos, Asmum, & Hansium,
Ne fortè in ultionis rabiem concitemini.
Domine Philippe, juramentum illis modò prælege;
Vos autem attentite, & præeuntem verbis sequimini.
PHIL. *Ego Cornelius & ego Grillus fateor lubens,*
COR. GRIL. *Ego Cornelius &c.*
PHIL. *Quod Cauponi fores nec non fenestras fregerim.*
COR. GRIL. *Quod cauponi*

PHIL

PHIL. *Quòd plurimis maledictionibus eum carpserim*
COR. GRIL. *Quòd plurimis*
PHIL. *Quòd meritò ab Hansio ad Rectorem delatus siem.*
COR. GRIL. *Quòd merito*
PHIL. *Quòd justâ mulctâ memet Magnificus affecerit.*
COR. GRIL. *Quod justâ*
PH. *Et quòd nolim, dum vixero, ulcisci hanc injuriam.*
COR. GRIL. *Et quod*
PHI. *Sic me Deus adjuvet.* COR. GR. *Sic me* FR. *Satis*
Jam abite, & deinceps vobis benè cavete. COR. *Cavebimus.*

ARGUMENTUM ACTUS QUARTI.

Scen. 1. IM vierdten Actt der Susio
Auß Vngern kompt vnd ist gantz froh/
Thut dem Cornelio zeigen an/
Wie es jhm sey im Krieg ergahn/
Cornelius im kegen theil
Klagt Susioni sein vnheil/
Wie jhm sein sturmendt sey worden sawr
Hab sitzen müssen im Finckenbawr.
Führet jhn darnach hin für ein gast/
Scen. 2. Des frewen sich die Jungen fast/
Scen. 3. Nach diesen wird Grillo kunt gethan/
Daß Susio sey kommen an/
Geht drauff mit Sorgio suchet jhn/
Scen. 4. Bald kompt ein frembder Bott herein/

Vnd

Vnd thut dem Kramer zeigen an/
Daß Corneli sachen sehr übel stahn/
Scen. 5. Drauff geht der Kramer im vollen lauff/
Vnd rufft Corneli schüldner zu hauff/
Thun jhm fürm Rector hart beklagen
Scen. 6. Solchs thut Cornelio ansagen
Der Susio. Nach welchem er
Auffm marckt den Kramer vngefehr
Antrifft/jhn schlegt/vnd geht davon/
Scen. 7. Vnd lesset jhn in sorgen stahn.
Scen. 8. Bald wird der Cursor ablegiert
Daß er Cornelium citier/
Scen. 9. Alsbald Cornelius comparirt/
Wird er vom Concilio damnirt
Vnd zehen jahr lang relegirt
Drüber er sie all injuriirt.
Scen. 10. Solchs Sorgius erfahren thut/
Vnd fasset drüber ein vnmut.
Susioni dieses auch vermeldt/
Daher Grillus sich traurich stelt.
Sce. 11. Nach diesem allen tregt davon
Cornelius groß spott vnd hohn/
Sein gewissen thut jhm wachen auff
Drey Creditorn komn zu hauff/
Vnd seiner Kleider jhn spolirn/
Das macht jhn recht cornelisirn.
Wie diese kaum sein gangen hin/
Kompt erst Lubentia zu jhm/

Vnd

Vnd bringt jhm einen jungen Sohn/
Gibt jhn jhm hin/vnd will davon/
Erst mehret sich schmertz vnd hertzeleydt/
Beredet sie doch mit bescheydt/
Das sie das Kindt nimbt wieder ahn
Vnd lesset jhn in sorgen stahn.
Darnach Cornelius zeucht heim/
Damit der Actus ist geschehn.

ACTUS QUARTUS

ACTUS QUARTI SCENA PRIMA.

CORNELIUS, SUSIO, DONATUS.

Senarij.

SUS. *Salveto plurimum Corneli candide*
Ita me ipsa salus amet, ut te conspicor lubens!
COR. *At tu mi Domine Susi salve millies.*
Deum immortalem, quantum tu mutatus es
Ab illo, qui cum antidehac solebam vivere;
Et indulgere voluptati perstrenuè;
Nec tunc mihi semper alius quam nunc visus es;
SUS. *Qui sic?* COR. *Quia ventriosus tunc eras homo,*
Malis præturgidis, aliquantum & rufulus
Alioque concinni formati erant modo;
Nec talis mystax, nec tales truculenti oculi,

Quin

Quin & tunc tarditate pedum vel cochleam
Superabas, at jamnunc jurarim, cursibus
Te posse cervos vincere, tam citò properas;
SUS. *Nostin' proverbium?* COR. *Quodnam?* SUS.
Vulpes pilum
Mutat non animum; *quod totus adeò sim macer*
Totusq; famelicus, strigosus, pallidus,
Quòd nunc incedo Cæsariatus, tetricâ
Fronte, truculentis oculis, quod ocyus gradum
Nunc tollo; id omne ex bello mecum huc adfero.
Ex Bello pendulæ marcent genæ, gula
In Bello strangulata tantum non fame,
Ex bello plures pediculos, quàm nummulos
Mecum adportavi; qui testudineo gradu
Adsuetus hèic uti, ipsus Duellum in Turcicum
Concedat, istic ocyus discet pedes
Movere, perduelles quando Turcici
Potiti fors victoriâ, mox Persico
Hostes vel ense, aut tormento æreo fugant;
Hæc mala, licet perpessus ego sim sæpius
Externa, & compulsus mutare plurima:
Eundem tamen huc animum refero, namq; adhuc
Potare calleo, vorare, ludere,
Luctari, irruere frameâ in ædes Civium
Atq; fores, & fenestras omnes frangere;
Dein ipsum Dominum atq; insimul familiam
Penè ad necem tractare hac frameâ, his lapidibus;
Ecquid placeo tibi adhuc satis? COR. *Satis ô caput*

Lepi-

Lepidum; quia tales mihi virtutes prædicas
Quibus paratur summa laus & gloria.
Nam vana est, quæ hoc ævo paratur gloria
Ex Baldo, ex Bartholo, ex Galeno, ex Biblijs?
Neq; inanius quicquam est, quodq; in se habeat minus
Solidi, quod apprehendas, quàm est tale studium.
SUS. *Ita est Corneli; Proin dum nos juvenes sumus*
Nostros dies consumamus semper hilares,
Atq; animos adjungamus studium ad unicum;
Aut evacuare cantharos, aut ludere
Chartis, fritillis, aleâ, pilâ, globis,
Aut in armorum nos collationibus
Oblectare, aut pulcras invisere virgines.
His his fruamur gaudijs præsentibus,
Dum ætas favet, tempus juvat, fataq; sinunt;
Dies quidem nunc longè abest novissimus,
Venturus est, post multa tandem secula;
COR. *Heu! quæ tu mihi Susi narrasti gaudia!*
Per Bacchum, dum absuisti, his indulsi vigil;
Adeò ut semel conjectus fuerim in carcerem;
SUS. *Hui! semel tantum? mecum illud sæpius*
Adhuc inhabitabis hospitium, quid refert?
Nam sæpè post Phœbi micantis caumata
Sequi solent tonitrua; non inde morimur;
Memini etiam post luctum oriri gaudia.
COR. *Id omnes sancti Dij avertant ominis;*
Nam mihi Rector graviter interminatus est
Se exterminaturum me omni Scholastico

A ca-

A cœtu, meq; privilegijs simul
Iri privatum Academicis. SUS. *Quid tu gregem*
Moraris istum? quid tu privilegiis
Academicis quæso nancisseris boni?
Longè meliores homines nostri milites,
Quin etjam cuncta terra forti patria est.
COR. *Nunc tecum sentio. Heus puer adfer illico*
Mihi Zythum ex hospitis mei ædibus; move
Te ocyus. DON. *Ego cursim ibo, sed nunquid amplius?*
COR. *Immò aliud te volo, cujus penè fueram*
Oblitus. DON. *Si quid vis manda, effectum dabo;*
COR. *Cura apparari vesperum convivium*
Et delicatum, & splendidum; sint frixa, sint
Elixa, sint assata, sint liquata, sint
Quæcunq; sint in copia; nam veseperi
Ad mensam mecum hunc adferam novum hospitem.
DON. *Curabo.* COR. *Mox revertere huc cum cantharo.*
Tu Susi in cœna hospes mihi futurus es;
Audin?? sed non lautis & lepidis cibis
Excipiam te; verum potationibus
Certabimus. SUS. *Ah tace & mitte ista fercula,*
Ibo tecum, quia nunc potare collubet
Tecum; nam potando cedo vel nemini
Locum, nisi me pugnis vicerit; Sed heus!
Dic, quot tibi Corneli convictores modo?
CORN. *Næ pauculi.* SUS. *Quot ergo?* CORN. *Vix*
sunt duodecim,
SUS. *Eho! num parvus tibi videtur numerus hic?*

COR. Parvus certè. SUS. Sed ego cogor tot cantharos
Evacuare illic, quot mensæ mihi adsident;
Nam singuli mihi dum propinant, singulis
Si rectè adhuc morem memini Academicum,
Et respondendum. COR. Obsecro, tace, quid duodecim
Moraris cantharos? memini te bis decem
Olim intra ternas horas evacuare; Quid
Mussas? SUS. Sed nunc alia est diæta mihi, quia
Dum peregrè hinc abfui, bibi dulcacidum
Semper Lycæum; sed faciam periculum
Adhuc hodiè quid valeam, modo cerevisia
Sit vestra boni valoris. COR. Pol! coloris &
Valoris optimi; At eccum puerum cantharo
Redeuntem: nunc ipsus mox confitebere
Cujus precij siet; Heus puer vitrum illico
Elue, & infunde, quam adfers huc cerevisiam,
Hem Susi, hoc vitrum tibi propino, sit salus.
SUS Benedicat Bacchus. COR. En totum unico hausiulo!
SUS. Placet, fideliter respondebo. COR. Salus.
SUS. Salus: En respiratione idem unica
Exhausi. COR. Ecquid tibi placet? SUS. Satis;
En ecce valorem rufus indicat color,
Qui totus purus est, totus pellucidus,
Nusquam lymphatus, Zythusq; ipse sic sapit
Quasi esset Rostochiensis aut Hamburgicus
Aut Servestanus, aut bonus Broihanius;
COR. Ita est. SUS. Moxne ibimus? COR. Extemplò,
heus puer adferas

Mihi

Mihi pallium, atq; pileum, dein Calceos
Dato in splendorem. DO. En Domine omne adfero tibi!
Quod postulas; Nunquid jam nunc cupis amplius?
COR. Sic, à cœna me cum famulo accedito
Ad mensam, tu minorem, ille adferat facem
Majorem, & facite, ut cum illis fuerit opus, statim
Sient paratæ. DON. Memor ero. COR. Nunc tempus est
Ut eamus, atq; accumbamus SuS. Tu i præ, ego sequar;
COR. Siquidem ita lubet, ego morem tibi geram lubens.

ACTUS QUARTI
Scena Secunda.
SIMON, DONATUS.
Senarij.

SIM. Ain Donate Junckerum exiviſſe? DON. Ita eſt.
SIM. Et ad mensam secum abduxiſſe novum hoſpitem?
DON. Sic. SIM. Et mandaſſe ut subsequeremur veſperi?
DON. Scilicet. SIM. Hem! quid tibi videtur, anne tu
Putas eum egregiè curaturum cutem,
Et hoſpitem benè depoſiturum poculis
Evacuandis? DON. Certè, quin immò cæteros
Omnes, si rectè eum novi, benè viverit.
SIM. At hoc qui poſſibile eſt? nam ne Hercules quidem
Contra duos. DON. Dicam, amuleta plurima
Sumpſit secum, ebrietatis arcendæ, ut ſolet,
Cauſa, tum reliqui omnes dicarunt liberum

Voluptati hunc diem in illius viduæ ædibus
Ubi sunt illæ ternæ mustæ Virgines.
SIM. Intelligo mihi quem denotes locum
Sed missa hæc faciamus, deq; proprijs modo
Loquamur commoditatibus. DON. Placet hoc mihi.
SIM. Quando finitâ cænâ, commensalium
Vides oculos parum prospicere, protinus
Fac ad manus ingens sit obba in angulo,
Hanc, quâ potes calliditate cape, & Martulæ
Adfer, ut eam reponat crastinam in diem;
Dic autem nos simul paulò post primulum
Diluculum adfuturos, & totum diem
Daturos istic delicijs communibus.
DON. Sic faciam Simon; nam noster Cornelius
Cras multam stertet in lucem, nec tertiam
Ante horam è somnis expergiscetur, scio:
Ita enim consuevit semper facere, ubi pridiè
Plusculum adbibit, dein quod diei est reliquum
Chartis solet, aut laterum impendere lusibus.
SIM. Rem omnem rectè tenes, credo nos ædepol
In eodem edoctos ludo, proin te aufer, prius
Hospitium quàm Funckeri adeas, ad MARTULAM
Ipsamq; tete & trullam præstolarier
Jube, ne forsan abierit dormitum, ubi
Adveneris. DON. Id inprimis nunc facere expedit,
Nec longius cunctabor, tu mox sequere me.
SIM. Ego tempore satis oportuno te subsequar,
Nunc mihi adhuc est pauxillulum negotij.

ACTUS

ACTUS QUARTI
Scena Tertia
SORGIUS, GRILLUS, SIMON.
Tetrametri.

GRIL. *Heus heus Corneli aperito actutum nobis aliquis ostium;*
Quid cessas? aperi inquam. SIM. *Quis ad fores?* GRIL. *Ego sum.* SIM. *Quid ego sum?*
GRIL. *Sic loquor heus aperi, vel fores toto convolvam cardine.*
SIM. *Satis pro imperio quisquis es.* GR. *Quid verbero? num murmuras?*
SIM. *Nego, sed, quis es, hanc vasto qui pepulisti januam impete?*
GR. *Mala merx, etjam quis ego sim me rogitas? Grillus adest.* SIM. *Obsecro*
Te Grille ignoscas mihi, namque alium ac es, tete esse censui.
GR. *Si deprecaris culpam, mitto te, sed ubi Cornelius?*
SIM. *Nescio profectò, nisi fors mensæ adhæreat, nam hospitem*
Eò secum hinc abducebat novum. GRIL. *Quem dicis hospitem?*
SIM. *Non novi hominem, neq; quod sciam antea unquam vidi oculis meis.*

GRIL. *Tu si non nosti, facito ergo nos ut noverimus.*
SIM. *Susio*
Ei nomen erat. GRIL. *Audin' Sorgi? Susio reversus est:*
SOR. *Audio, sed quali fronte erat?* SIM. *Oblongâ,*
truculentiis insuper
Oculis torvum videbat, Et nisi me memoria fefellerit
Ex Ungaria advolarat. SOR. *Certè purus putus ipsus est.*
Quin imus & audimus secum quid adportet novi? GR.
placet:
SIM. *Ego pariter vobiscum me hinc auferam; nam*
Funckerus meus
Ita jußit, ut comitarer vesperi, atq; hanc adferrẽ facem.
GRIL. *Venimus ergo nos tempori.*

ACTUS QUARTI
SCENA QUARTA.
OCTPUS, HARPAX.
Senarij.

OC. *Minus malum hunc hominem esse opinor, adibo eum;*
Heus tu herquinâ barba, respondè quod rogo.
HAR. *Eho priusne salutas?* OC. *Nulla mihi data est*
Salus. HAR. *Tantundem ergò hîc accipies; quid cupis?*
OC. *Ecquem hâc in urbe novisti hominem? te rogo.*
HAR. *Ita egomet me novi.* OC. *Ludis me, alium volo.*
HAR. *Quod est ei homini nomen? dic.* OC. *Cornelius.*
HAR. *Cornelium novi, quid illi adfers novi?*
OC. *Epistolã hanc.* HA. *Quid illa habet boni?* OC. *Nihil*
Boni,

Boni, at mali multum. HAR. Obsecro quid illud est?
OC. Persæpè multiformes de ejus moribus
Distortis, atq; vitæ incontinentia
Querelæ missæ hinc ad parentes optumos,
Quòd poculis, quòd lusibus, libidine
Aliisq; flagitijs hei̇c tempus exigat;
Omnemq; miserè dilapidet pecuniam;
Quod multo item alieno teneatur ære, quod
Ob grave facinus conjectus fiet in carcerem;
Hæc atq; alia resciverunt compluria.
HAR. Deum immortalem quæ mihi narras nova!
Hæc omnia parentes resciverunt? OC. Ita est;
HAR. Quid ergo? OC. Quid? eos morbus invasit gravis
Ex ægritudine hâc, nec spes vitæ amplius.
HAR. O miserũ modo Cornelium! OC. O miserrimum!
Parentes condidere testamentum, eo
Cornelium abdicarunt omnibus bonis.
HA. Quid? abdicarunt? OC. Sic. H. Ingratum ô nunciam!
Nam mihi adhuc soli debet undecim minas;
OC. Si debet, debebit semper, nunquam bonis
Paternis potietur, satis hoc Epistola hæc
Dicet, quam exaravit noster Notarius.
HA. Gravi hercle ariete pectus percutis meum;
Ha! quam technarũ præsens mundus plenus est!
Nusquã amplius est Fides: Fides res mortua est.
OC. Haut mihi tu id imputes, si quid tibi debeat;
Sed heus! ubi ubi est? HA. Id ego admodum incertò scio,
Nisi eum apud hospitem offenderis. OC. Ubi is suam

Tenet sedem? HA. In tertia ab hâc proximâ domo.
OC. Eo ut Cornelius hanc perlustret Epistolam;
HA. Sat citò veneris istoc cum Cordolio tuo.

ACTUS QUARTI
SCENA QUINTA.

FRIDERICUS M. R. VALENTIUS. GERHARDUS hospes. HARPAX institor. CHRYSOSTOMUS Bibliopola. MORSIO pharmacopola. HANNO Oenopola. NOVELLUS Sartor. SMUTZO Sutor. CARPZOVIUS Tonsor. ASMUS Caupo. MARTHA Lotrix.

Tetrametri Scazontes.

FR. *Demiror, quid sibi tanta caterva hominum velit, sanè insuetum hoc;*
VAL. Omnes hi M. R. Cornelî Creditores sunt.
FR. *Prodibo ut quod discupiant audiam. Excipio vos unà omnes*
Salute. GER. *Eandem tibi remuneramur Magn. Rector.*
FR. *Quid est, quod Consilium aut meum auxilium efficere vobis possit?*
GER. *Est tale negociû quod æquè singulos nos contingit, Verùm me inprimis.* FR. *Agite ergo commemorate mihi quid illud sit.*

GE.

GE. *Scies; Cornelius qui in carcere conjectus erat nuper,*
Omnib' est nobis alieno ære obstrictus: ubi eũ appellamus,
Idem est, quasi lympham ex pumice postules; quare operam imploramus
Tuã, ut eũ cogas solvere sponte, aut duro carceri includas,
Donec persolverit extremum nummum. FR. *Agite in ordinem vosmet*
Locate: Quod tibi nomen? GER. *Gerhardus.* FR. *Quantum tibi debet?*
GE. *Centũ florenos pro cibo ac potu; sed quod meæ gnatæ*
Sic per vim usuram cepit corporis, eam & concubitu fecit
Gravidã, pro crimine isto Plutoni corpus & animã debet.
FR. *Prohibeat hoc Deus. Quod vero tibi nomen?* HAR. *Mihi est Harpax*
Nomen, qui egenus institor sum. FR. *Quantum ergo tibi debet?*
HA. *Vel undecim minas.* FR. *Quantum Chrysostome tibi?* CHR. *Centum.*
Marcas. FR. *Quantum tibi Morsio?* MOR. *Octodecim florenos.* FR. *quantum Hanno*
Tibi? HAN. *Triginta thaleros.* FR. *Quis tu?* NO. *Novellus; sum Sartor.*
FR. *Tibine ergò etiam aliquid debet?* NOV. *Sic, duodecim florenos.* FR. *Quis*
Tu vero? SM. *Smutzo vocor, cui Cornelius decem debet*
Joachimicos. FR. *Annon tu Carpzovius tonsor?* CAR. *Sum.* FR. *Quantum ergo*
Desideras? CAR. *Tres thaleros.* FR. *Annon tu es Asmus?*
AS. *Asmus sum,* De-

Debetq; mihi Cornelius sex thaleros. FR. Quantum lotrix
Tu deniq; postulas? MAR. Tres thaleros. FR. Numerastis
quoq; rectè?
CRED. Ita. FR. Colloquar cum eo, vosq; opera & arte
juvabo, ceu munus
Meum requirit. Vos redite huc singuli post tres horas,
Ego interim curabo accersier Cornelium vestrum.

ACTUS QUARTI
Scena Sexta.
CORNELIUS, SUSIO, HARPAX.
Senarij.

COR. Harpax? SUS. Ita est. COR. Harpax me accu-
savit debiti?
SUS. Scilicet. COR. Et secum creditores singulos
Ad Magnificum deduxit? SUS. Ita dico quidem;
COR. Ut te Dij Deæq; pessimis modis
Perdant! ut Pluto te in partes discerpat duas!
Dispeream Susio nisi me ulciscar probè!
SUS. Ita suadeo; sed eccum ibi ambulat in foro!
COR. Doleo me non habere fustem, quo caput
Ejus diminuam. SUS. Quin subitò irruis in eum
Et contundis pugnis? COR. Ita faciam. SUS. Heus!
liceat prius
Hoc te admonere; Ego heîc in insidijs ero,
Si verberando te superarit, me invoca.

Vidus

Fidus ut adjutor pugnis succurram tuis.
COR. *Benè mones.* (*Adsis Fortuna; Heus tu nequam*
Unde isthac in te incessit temeritas nova? (*homo!*
Ut non tantum me de tuleris ob debitum,
Sed etiam Creditores quòd pellexeris
Ad Magnificum? HA. *Bona verba quæso.* COR. *quid blatis?*
HAR. *Quin tu alium quæras cui centones farcias,*
Desiste, si fossam fodis dolo mihi,
Ne tute in ipsam primus irruas, cave.
Quoties mihi feci sti spem pecuniæ,
Quam debes, si tabellio rediret tuus?
Nunc redijt; ubi pecunia? Nihil attulit.
COR. *Meusne tabellio redijt?* HA. *Quid quæritas*
Quod scis? COR. *His tibi mox pugnis linguã comprimam*
Hoc pro dolo. HA. *Hic mos Impostorum haut infrequens*
Et verbis & verberibus creditoribus
Semper rependere gratias. COR. *Egone sum*
Impostor, aut unquam fui? Hem mihi vapula.
HAR. *Hem! Impostor, vis hæc herclè est maxuma, quam citò*
Rectori exponam. COR. *Quid? minaris insuper?*
SUS. *Feri Corneli!* COR. *Ferio.* SUS. *At amplius*
Exerce pugnos. HA. *Hei hei mihi!* COR. *Quid clamitas?*
HA. *Hei hei mihi!* SUS. *Nunc sat Corneli, desine*
Ne planè occidas. COR. *Ito modo in malam crucem.*

ACTUS

ACTUS QUARTI

SCENA SEPTIMA.

HARPAX.

Jambici Tetrametri Catalecti.

VÆ misero mihi quantâ spe decidi! hoccine de improviso
Mali mihi objici tantum? ô tempora! ô mores! quid jamne
Credas? aut cui credas? quemve fidelem habeas, nescias; adeo
Exulcerati ssimo iniquissimoq; hoc seculo sunt
Fermentata omnia, Fides, Fidelitas, Amor, & Pietas,
Amicitia, Sodalitas, Officia, Beneficiaq;
Quorum locum obtinent nunc Fraus, dolus, Ingratitudo;
Ita bonis immorientibus moribus his affatim nunc
Succrescunt mali, magis ac magis indies posterioribus
Semper deterioribus. Hæc ipse comperior meo
Adeò malo; in Cornelio, cui tantam concredidi
Mercem, nec quicquã recipio nisi multa verba & verbera;
Sed haut injuriam tantam feram, licet intentatos
Valuissem eludere ictus; patienter bilem compressi,
Ne causâ caderem: Nunc me rectâ conferam ad Rectorem.

Actus

ACTUS QUARTI
SCENA OCTAVA
OCTPUS, CORNELIUS, VALENTIUS.
Senarij.

OCT. *Perreptavi omnem urbem, nec te offendi uſpiam.*
COR. *Credo & non credo, at quando adveniſti Ocype?*
OC. *Heri circa meridiem;* COR. *Hem Harpax rettulit*
Mihi vera. Plumbum in pectore geſtare videor;
Quantum adfers mihi pecuniæ? OC. *Nihil adfero.*
COR. *Præſagit animus neſcio quid mihi triſtius*
Tergo imminere; Parentes etiamnum vigent?
OC. *Fortaſsis.* COR. *Qualis hæc dubia reſponſio?*
OC. *Mitte iſta, & accipe hanc Epiſtolam tibi*
Hæc te docebit omnia, mihi morarier
Diutius non licet. COR. *Abi ergo ad patibulum!*
OC. *Si tu mecum es futurus pro uva penſilis.*
COR. *Ille abijt; nunc reſignabo hanc Epiſtolam,*
Ut quid novi apportet, videam; ignota hæc manus!
Diſcrucior miſer animiq; ſolliciudines
Graveſq; curæ me ad mortem uſq; macerant;
Nunc nunc eſt finis omnis gaudij mei;
Nunc nunc nihil ſum niſi mœror, cura & dolor;
Uterq; parens decumbit; ah lethaliter,
Atq; ob flagitia me abdicarunt: peſſumè
Factum; quod tam parentis imperium lene

Rejecti

Rejeci perfidus, & tam turpiter lupis
Servivi heîc obscœnissimis, heî quid fleo?
Est sera nimis in fundo pœnitentia;
Probum esse oportuit, qui nunc probus esse vult;
Hei! esine Testamentum conditum? factum,
Unde autem tantum nunc sumam pecuniæ
Ut creditoribus satisfaciam? Hei sacrum
Interq; saxum sto nec quid faciam scio,
Surripiamne ex aliorum clanclum ærario?
Vereor patibulum: O si superstites forent
Adhuc parentes, me provolverem ad pedes
Eorum, & culpam deprecarer millies!
Nunc frustrà spero, tinniunt aures mihi
Quod uterq; extremum vitæ efflarint spiritum
O cœlum! ô terra! Abrumpite hunc Cornelium!
Etenim Salus communis hæc divinitus
Mihi scelesto non potest contingere.
Sed quem video ad me rectâ protollere gradum?
Profectò nisi me fallunt oculi, Cursor est.
Abdam me ex illius conspectu in angulo hoc.

St. St. VA. Dominus Cornelius citatur ad Rectorem, exclusionis sub pœna.

COR. *Hei mihi!*

ACTUS QUARTI
Scena Nona.

FRIDERICUS, VALENTIUS, JOANNES, JUSTUS, VIGILANTIUS, PAULUS, PHILIPPUS, GERHARDUS, HARPAX, HANNO, MORSIO, CHRYSOSTOMUS, CARPZOVIUS, NOVELLUS, SMUTZO, ASMUS, MARTHA, CORNELIUS.

Septenarij.

FR. *Clarißimi & Charißimi Collegæ, vos quod huc*
Modo conveniſtis, equidem lætor, habeoq; gratias,
Rogoq; adeſte æquo animo, & conventus cognoſcite
Cauſam. Non adeò multum temporis abijt, cum Hanſius
Præfectus ille vigilum, quemdam è noſtris civibus
Tumultus concitantem nocturnos prehenderat
Et conjecerat in carcerem; Huic ego & Adſeſſor meus
Colendus, ob meritum, multam juſtam irrogavimus,
Futurum ſperantes; deinceps ut à petulantia
Se contineret ſimili; quòd nobis pollicitus eſt;
Verùm nunc de novo accuſatus ab Inſtitore, cui,
Quòd debuit, cum non fuerit ſolvendo, verbera
Ingeßit multa, in publico foro, præſentibus
Multis honeſtis civibus, multum accuſantibus

Rectoris

Rectoris lenitatem, suprà quàm dici potest.
Quare optumi Collegæ ne proserpat hoc malum,
Nec seditio oriatur, certum est hunc proscribere,
Non propriâ autoritate quidem meâ, sed omnium
Consentientibus votis. Adest hèic institor
Præ foribus, adest Cornelius, adest hospes & illius;
Qui queritur de vi, quam gnatæ pudicitiæ intulit,
Adsunt præterea illius creditores cæteri,
Ferunt qui singuli esse jamdudum de mortuos
Parentes, ipsum & abdicatum ut filium improbum.
JOH. Multa & varia Rector Magn. ad me perlata sunt
De Corneli petulantia, quam noctu exercuit
Cauponis ad cujusdam ædes. Quarè tum temporis
Ratione officij, ut audivistis, castigavi id scelus
Et suggesto: Quis enim ferret tam insignem audaciam
Homo pius? tum verò quod efferati pectoris
Libidine, castitatem filiæ hospitis sui
Subruperit, id pol æquè scivi cum ignarissimis,
Veluti nec mihi quicquam constat de illius debito.
Proin cum se in tanta præcipitavit flagitia, puto;
Dignum esse, qui ex numero removeatur Studentium.
JUST. Sic sentio & ipse. VIGIL. Probatur idem mihi
PAUL. Et ego largior
Vobis sententiam eandem. At audiamus nos prius
Eum, quid ad delationes tot respondeat!
VIG. Id æquum judico. FR. Heus Valenti citò Cornelium
Huc advoca, & omnes qui illi grandem scripserunt
dicam.

VAL.

VAL. Factum puta. FR. Tu Hospes quid contra habes
Cornelium ?
GER. Magn. Rect. Ego ipsum annum per totum infercij
Meo cibo ac potu, Quod voluit habuit de meo ;
Voluit jentaculum ? merendam voluit ? de meo
Accepit; semper pollicitus mihi montes aureos
Ut grati animi arrham! nunc ubi eum appello de debito,
Clunes mihi (sit veniæ locus) monstrat: quin plurimis
Simul me onerat maledictis. JO. O ingratũ hunc dixerũ!
Verum ita sunt isti nostri Studiosi modo ;
Si quid benefacias; levior pluma est gratia ;
Si quid peccatum est plumbeas iras gerunt :
HOSP. Sic est, sed Dn. Doctor dicã adhuc quid amplius.
Impurus ille sceleſtus unicam gnatam meam
Coëgit ad fluprum, & eam gravidam compressu suo
Fecit; talem mihi ac uxori retulit gratiam.
JOH. Deus hoc inultum facinus non sinet; judex erit.
JUS. Hic nebulo excludendus est honestorum ex grege,
Illud leges & jura requirunt nostræ Academiæ.
COR. Ego verò nullũ puto flagitium esse, adolescentulum
Scortari neq; potare neq; teneri debito.
JUS. Quid tu nobis obgannis omnium impurissime,
O hominem æternùm perditum qui nondum crimina
Et scelera agnoscis adeò impura, horrenda, & impia !
VIG. Quonam usq; censes optumũ atq; maxumum Deum
Hic his tuis nefandis indulgentius tibi
Tot machinis sic connivere velle ? falleris,
Si hoc credis ! haut cedet tibi bono ejus clementia.

HAR. Conquestus ego sum Rector, quì me ipsus Cornelius
Validis concisum pugnis ad mortem penè appulit;
Amicè appellatus de centum ac undecim minis
Quas mihi jamdudum debet; Quare ut tibi graves
Et tanto scelere dignas det pœnas nunc obsecro;
Deinde ut cogas illum argentum solvere debitum;
FR. Tace sis, nos animadvertemus in eum graviter satis;
Vos cæteri nunc ordine quantum vobis debeat,
Mihi indicate, ne opus multis sit quæstiunculis;
CHRIS. Mihi centum Marcas debet pro acceptis libris.
MORS. Mihi florenos debet octodecim pro Saccharo.
HAN. Mihi triginta thaleros pro vino Cretico.
NOVEL. Mihi duodecem florenos pro sartis vestibus.
SMUTZ. Mihi decim Joachimicos pro adsutis calceis.
CARP. Mihi tres thaleros debet pro sanato vulnere;
ASM. Mihi sex thaleros debet pro epota cerevisia;
LOTR. Mihi tres thaleros pro purgatis subuculis.
FRID. Hæc summa in ingentem excrescet numerum;
Quid adhæc ais?
COR. Nihil nisi quod tam pulcrè meminerunt numerum.
VIGIL. Eho. Tun' audes verbero nosmet sic ludificarier?
Tun' audes dicere id, quòd nemo antehac ausus fuit?
FR. Hucne advenisti audaciæ columen dolis? Num habes
Ut sis solvendo? COR. Si me ipsum quæram vix id sciam;
VIG. Ille omnes quotquot hic sunt pro ludo & jocis habet,
Periere mores, Jus, decus, honor, Pietas & Fides,
Et qui redire cum semel perit, nescit pudor.

FR. Heus

FR Heus tu Cornele homo indignissime quem tellus ferat
His singulis te obstringes creditoribus tuo
Chirographo, quod eis intra duos menses velis
Argentum debitum solvere, ni faxis, singulis
Ut te in jus rapiant longè strictius permittimus;
Jam verò quod te tot vicijs, atq; impurissimo
Infamem scelere feciſti, omnium ex consortio
Exterminamus Studiosorum, & te ad decennium
Proscribimus, severè mandantes, ut crastino
Diluculo discedas ex hâc urbe, quò lubet;
CORN. Vis hæc quidem hercle est, quam nec ego nec
cognati ferent.
JUST. Neq; tu, neq; cognati labefactarint leges bonas
Aut ferro aut verbis, corrigant vitam & mores tuos,
Si quid valent. COR. Heus Rector me si tu proscripseris,
Clare heic dico omnibus, nemo à me accipiet num-
mulum.
FR. Cave ne rem cogaris capite aut tergo solvere;
VIGIL. Illum in temperiæ agitant & multæ insaniæ.
CORN. Quæso agite mecum mitius; homo sum, humani
à me nihil
Alienum esse arbitror. JUST. Quid mitius tibi cupis?
Sententia lata semel, quam cras tabella publica
Memorabit alijs adulescentulis; Tu comprime os;
Atq; facesse hinc. CORN. Ut magnus vosmet perdat
Jupiter!
Cum vestris legibus, & his cum leporibus omnibus.
CRED. Nos mox faciemus ut quid sit verus lepus scias.

FR. *Quiescite, & secedite omnes, prandium monet.*
GREX. *Valete, nos compellimur aliam inire semitam.*

ACTUS QUARTI
SCENA DECIMA.
SUSIO, GRILLUS, SORGIUS.
Septenarij.

SUS. *Proviso quid rerum foris jam Sorgius gerat;*
Sed ipse adest, quid agitur Sorgi? SOR. Statur, & hunc quidem in
Modum; SUS. Video, sed quid tibi Sorgi? SOR. Doleo.
SUS. doles?
Quæso dolorem paululum remittito tuum!
SOR. *Quæso dolorem paululum admittito dicas.*
SUS. Satin
Compos tui es? Ne quæso admiseris quod non potest
Pelli tua ex sententiâ, ubi volueris; At velim
Mihi ex animo loquare modo, tuus iste gravis dolor
Nihil relaxatus? Taces? SOR. An intentus siet
Quæras. SUS. Quid ergò hîc aïri consecutus es auribus?
SOR. *Nihil aïri & albi totidem. SUS. Unde ergò hic intentus dolor?*
Si quo modo queam tollere, paratum senties.
SOR. *Eheu curæ leves loquuntur, ingentes stupent;*

SUS.

SUS. *Committe quæso curas auribus frater meis.*
SOR. *Faciam scias; Modo noster popularis Cornelius*
Proscriptus ad decennium. SUS. *Quid ais? proscriptus est*
Cornelius? Audin? Grille quæ locutus Sorgius?
GRIL. *Audio, sed nondum credo illi.* SOR. *Si mihi*
non creduas
Ito ad tabellam ibi invenies quæ dixi. GRIL. *Susio*
Eamus. SUS. *Sorgi sis comes.* SOR. *Etiam Cornelij.*
SUS. *En Grille, vera memoravit.* GRIL. *Nunquam*
hoc speraveram.
SUS. *Nunquam hoc speraveram.* SORG. *Frustra est,*
Nunquam hoc speraveram.

ACTUS QUARTI
SCENA UNDECIMA.
CORNELIUS, HARPAX, NOVELLUS, SMUTZO, LUBENTIA.
Senarij.

COR. *Quis nunc homo miserior vivit me? quis hic*
Quem tot mala circumvallant undiq; atq; me?
Ut unda supervenit undam; Ita alij fluctui
Curarum insistit alius; Mare pectus meum est,
Eheu mihi! Lien necat, renes dolent,

Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur;
Radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent.
Factor, crucior, agitor, stimulor, versor, feror,
Distrahor, exanimor, diripior, exenteror.
O terra aperi Os! atq; dehisce me Cornelium!
Tædet cœli tueri convexa amplius!
Sedeo & nõ sedeo, sto & haut sto, ambulo & haut ambulo,
Quo tandemcunq; mea converto lumina
Ibi omnia cura, mœror, luctus & dolor;
Hi loculi prægnantes auro argentoq; erant,
Nunc Luxuria inopiæ mater cuncta absfulit;
Libros in liberos mutatos dixerim,
Ubi nunc sodales quos immortales mihi
Sperabam? Verum herclè est, quòd dici solet,
Dum fervet Olla, vivit Amicitia bona!
Ubi nunc mea Virgo? quid Virgo? Lubentia
Virgo fuit! *Itane ampliare decet suum*
Genus? ô parentes vivitisne an mortui
Vos estis? HAR. *Audin tu? nos vocat, heu gestiunt*
Manus meæ. COR. *Si mortui estis, in ædibus*
Vestris ex me faciam unam longam litteram. SM. *At*
Ego calceis faciam ex te crassam litteram.
NOV. *Ego hâc illius ulnâ tergum metiar*
Quin imus? COR. *Quos mihi advolare conspicor*
Corvos? NOV. *Hem Smutzo Corvos nos vocat scelus;*
HAR. *Ego primus ero; Hem scelus! impostor! trifurcifer!*
Argentum quod dudum debes, solve. COR. *Obsecro*
Mihi argentum non est. HAR. *Quando ergò solveris?*

Calendas

Calendas ad Græcas? COR. non, sed quando Ocypus
Reversus. HAR. Sat dedisti verba diu mihi,
Has exue vestes. COR. Ah parce. HAR. Exue furcifer,
COR. Ah linque has caligas. NO. Cujus quæso hoc pallĩu?
COR. Meum est. NOV. Quin dicis fuit? COR. Ah
quid ego habere me
Dixi? immo habui. NO. Hẽ id tu nondũ habuisti verbero.
COR. O tergum! ô brachium! ô lumbos! ô caput! ô pedes!
SMUTZ. Quid clamitas, anne dolet? Hem mihi calceos
Concede, his ex te faciam crassam litteram!
COR. O tergum! ô brachium! ô lumbos! ô caput! ô pedes!
HAR. Fam discede ad parentes cum bonis novis;
Et facito, ut quod relliquum, accipiamus debiti.
COR. Ah illi abierunt corvi! quos; sed teneo me;
LUB. Quid adeò tristis es Corneli mi pater?
COR. Ah tun' me patrem appellas? Ah violentiâ
Frangor doloris, atq; diffluentium
Maceratione viscerum in ultimam luem
Consumor. LUB. Hem hujus Cornelioli nomine
Te hac voce saluto, quia hic filiolus est tuus,
Quem tibi recens enixa sum. COR. Ah Lubentia
Pudet pigetq;. LUB. Hem pudor hinc incassùm cadit
Pudere oportuit, quando mihi adhinniens,
Pudicitiæ fregisti vi repagula.
Per supremi Regis regnum juro, ut mihi
Extra unum te mortalis nemo corpore hoc
Corpus contigit, ut me impudicam redderet!
COR. Hei! hei! Puellæ Oculos Vocativos habent,

Ablativas *manus*; Dativum *possides?*
Conceditur Genitivus, *mox sequuntur hunc*
Accusativus, Nominativus; *Cave,*
Cave hos ô juvenis casus si rectè sapis.
LUB. *Quid virgines incusas? hunc infantulum*
Corneliolum excipe osculo, arridet tibi;
COR. *O auree ocelle Amoris qui donum & decus!*
LUB. *Vale Corneli.* COR. *Quid? deseris tuum*
Infantulum? LUB. *Tuus est nunc.* CORN. *Meus est*
& tuus,
LUB. *Rectè; quandoquidem tuus est, Corneliolum habe*
Et retine donec rediero. COR. *Ah* Lubentia
Recipe hunc, mihi migrandum. LUB. *Nunc non audio*
COR. *Quæso audias.* LUB. *Vale, vale, non audio.*
COR. *Ah sine te exorem;* LUB. *Nō audio.* COR. *Ah sine,*
Dabitur victus vestitusq; necessarius
Corneliolo. LUB. *Quid præterea?* COR. *Decem minæ,*
En dexteram! en fidem! en osculum pro pignore!
LUB. *Miseret tui me; Recipio hanc prolem, sed ut*
Serves promissa. COR. *Sic servabo per Jovem;*
LUB. *Vale.* COR. *Illa abijt, proin me quoq; conjiciam*
Posci tempus modo; ne plures advolent, (in pedes;
Atq; ingravescat dolor; Ah cor mihi mortuum est
Metu, unde auxilij nunc copiam parem?
Spes atq; opes sepultæ sunt vitæ meæ;
Hei mihi, ubi sum? quid ago? quave insisto viâ?
O tristem! ô luctuosum! ô funebrem hunc diem!

ARGU-

ARGUMENTUM
ACTUS QUINTI.

Scen. 1. EIn Gespenst itzt kompt aus Plutons Land
Welchs redt ein sprach euch vnbekand
Thut sich bißweiln in die höhe streckn/
Dafür jhr ja nicht wollt erschreckn/
Scen. 2. Dieß macht sich in Corneli hauß
Zeigt jhm ein strick/laufft wieder hinauß/
Wie nun Cornel sich hencken will/
Zurreist der strick/ bekompt in eill
Ein beckn/ darin gelegt viel gelt/
Darüber er sich frölig stelt/
Bitt Gott er wolt jhm doch vergebn
Sein Sünde viel/ danckt jhm darnebn/
Scen. 3. Kert wieder vmb/mit frewdegeschwindt/
Jst gutes muts/ ein Botten find
Welcher mit vnlust jhm thut kundt
Das ein Fürst ankommen zur stundt/
Scen. 4. Zu welchem er sich macht alsbaldt
Thut jhm ein fußfall auß einfalt/
Erlangt das die proscription
Von stunden an wird außgethan.
Scen. 5. Darauff der Rector jhn citirt
Vnd jhn genedig recipirt

Vermahnt jhn das er sein wild leben/
Hinfurder gentzlich wöll angeben/
Als dies sich also hat begeben
Cornel anfengt ein newes Leben
Bezahlt sein Schuld/lest ab vom sauß/
Vnd geht das spiel mit frewdn hinauß.

ACTUS QUINTUS.

Actus Quinti Scena Prima.

SPECTRUM.

AL Aborotz Calcy Schul lacky missio purli,
Blessio ny Cornil' fugalax moneoth naso (ki
lusim;
Cuth bonibyr Perlyn Schurassimi tulpel'en Au-
Doryn nyn bracyn Suffle rare droscholi moryr;
Exolinyn blicku, Chatry vob' presso sub Asym;
Flabbio silully flegenym sugisondrio flabby,
Grillio nyn Garyn Pelgryn stropisere Sacky,
Harbase Smutzoy Noveli cur tutzo ve lasso;
Intranym suevel à vaule vendre putayn
Lubentyn dicar Rosiny cur frese ve Sorgi
Mopsoly brym Mommyfore clusio frillo lycóhe
Nastuphere Tunchel Smutzoym Vouge Novelle
Ocype tabelly là tutto Voglio Samsy
Prinpalky Cursor sum bynoth prodrio signor
Quecky,

Quecky, ſuffloe Chym dreſſio ſuave pe' droſe,
Rapuny viſio la' craggi Sommer Aluſa,
Suſio veſpelli Byth Trullululle Scoratze
Tyth baſiol Crommy Cramero ſol' lamme Cholety
Un' aperi Cornil' ſem ſtrangio puppe ſalyſon.

ACTUS QUINTI
Scena Secunda.

CORNELIUS, SPECTRUM.
Senarij.

HI ſunt loci atq; hæ regiones, imò & domus
In qua ego natus & educatus ſum à parvulo;
Hanc ſubitò adibo, ut cognoſcam ſintne adhuc mei
Superſtites parentes: Aperi heus quisquis es!
SP. Mom Mom! *COR. Nihil moror, Diabol-homo, heus citò*
Aperi. SP. Mom Mom. *COR. Tu Diabol-homo quid hic ubi*
Negocij in paternis ædibus? SP. Mom Mom.
COR. Heî præter larvam umbratilem hîc invenio nihil.
Ubi ſupellex? ubi vaſa? ubi ciſtæ? ubi?
SP. MomMom; *COR. Væ miſero ad reſtim redijt mihi;*
Doleo, nullam eſſe in promptu; Hem reſtim mihi volo!
SP. MomMom. *COR. Ubi? SP.* MomMom. *COR. Ubi? SP.* MomMom. *COR. nunc video â trabibus,*

Hæc

Hac constringam guttur meum, sed tibi prius
Relinquo hos calceos, thoracem & pileum;
Fratres tuos misereſcat hujus corporis
Et animulæ. SP. Corfoy, Raffoy, Curac!
COR. *Quid hoc? quid in his loculis qui mecum deciduni?*
Graves sunt & prægnantes, inſpiciam illicò;
Hui! ſi nunc ſuſpendam operam luſerim
Meisq; voluptatem inimicis creaverim.
Supreme Deus ſcrutator cordium omnium
Qui non vis peccatoris interitum, ſed ut
Convertatur homo & vivat; tibi ago gratias,
Tu misero ſpem obtuliſti inſperatam mihi.
Nam ex Orco in vitam me revocaſti hodiè, quod hunc
Mihi adſervaſti theſaurum, pro quo tibi
Sit immortale decus, tibi laus, tibi gloria,
Finis licet nullus meorum criminum,
Finis tamen nullus tuæ clementiæ eſt.
Deteſtor nunc mea ſcelera, peccavi pater,
Miſerere mei Deus; vitam pol corrigam;
Nunc ſurgo, quia in vado ſalutis hæreo.
Ex hoc theſauro tantum depromam mihi
Pecuniæ, meis quò creditoribus
Reddatur debitum: Fors ſi hoc audiverint
Profeſſores, defenſionis ſub ſuo
Recipient me clypeo; tentabo; O gaudium!

ACTUS QUINTI
SCENA TERTIA.

VOLATINUS, CORNELIUS.
Senarij.

VO. Quàm iniquè comparatum est, ut qui habent minus,
Minus etiam inveniant commodi, quemadmodum
Evenit mihi, Nam mihi gradiundum est calceis
Attritis, hâc atq; illac diffluentibus;
Tum pariter maximam aëris caliginem
Hæc monstra nubium adferent continuo; Nam
Tam horrenda nunc imago tempestatis est,
Ut imminere haut absq; causa quispiam
Mortalibus putet diem novissimum,
Est nempè Martij initium, quem ut autumant
Mundo fuisse mensium primum omnium;
Ita suspicor fore omnium novissimum,
Nihilominus nunc oportet me currere
Per sonitum, tonitrum, crepitum, pluviam & grandines;
COR. Quisnam ô Dij, quis illic est qui properat huc?
Nisi dubius adspectus meos fallat oculos;
Est quidam Cursor; procedam illi homini obviam,
Heus quò tendis? VOL. Illud tua quidem refert parum;
COR. Hominem hunc malum esse oportet: unde autem
venis?
VOL. Ex vicinâ urbe in quâ est Academia. CORN.
quid ibi

Quæso

Quæso novi? VOL. Nil nisi quod Princeps advenerat.
COR. Princeps? quis? VOL. Ignoro. COR. Heus heus
nunc vigilo mihi.

ACTUS QUINTI
Scena Quarta.

NESTOR cum comitatu,
CORNELIUS.
Octonarij.

COR. Illustrißime Princeps, Dux & Domine mihi cle-
mentißime,
Dici solet, quem Dij servatum volunt; huic plurimas
Vorandas esse molestias cum præparatis gaudijs.
Utrumq; ego Princeps cum grandi sum expertus meo
malo;
Nam quàm diu vixi in Academia, voluptati obsequens
Semper fui; nunquam sapientum illud dictum perpon-
derans
Voluptatem esse malorum escam, quam subsequatur
mœror, &
Infamis Mors: Ita autem pravo corruptus consortio
Animo inservivi, ut à Rectore atq; Professoribus ad
decem
Hinc sim proscriptus annos; unde tanta cunctis gaudijs
Mihi interceßit ægritudo animi, ut de laqueo ceperim
Cogita-

Cogitare, quò finirem vitam. Sed Deo sit gratia
Qui me Angelis tutatus, & eripuit me ex Orci faucibus,
Nam vix simulatq; restim injeceram collo meo, statim
Disrumpit, ipse decido de mensa, ibi me marsupijs
Onerata pelvis plurimis à capite sequitur: spiritum
Ferè intercluſum recipio miser, inſpicio marsupia,
Adeoq; argento & auro plena offendi singula, mihi à
Parentibus meis præter spem legata atq; repoſita;
Hoc hoc igitur theſauro faciã, ut Creditores, urbe in hac
Quos habeo, gaudeant, mihiq; multas gratias agant;
De reliquo autem meas Muſas exhilarabo, & mea ſtudia
Si Deus & Sors benigna adfulſerit, pertexam ſeduld;
Proin Dux clementiſſime, Muſarum patrone maxume
Quando tuam erga alios benivolentiam perſpeximus
Satis facilem, tantum mihi de illa impertias nunc obſecro
Ejus ut aurâ atq; commendatione fretus, à Scholæ
Hujus Rectore recipiar, & in numero rurſum computer
Studentium; Promitto, me herclè, probitatem & dili-
gentiam.

NEST. Noſter Amor, quisquis es juvenis, in cultores
ſapientiæ
Et liberalium artium, nulli unquam præcluſus fuit;
At in impietate degentibus, ijs indulgentiæ fores
Occludimus, præſertim quando nullâ pœnitudine
Ducuntur; decet hoc principem bonum, decet hoc omnes
pios.

CORN. At clementiſſime Dn. Princeps me peccaſſe
pœnitet;

NEST.

NEST. At sapientis proprium est, nihil quod pœnitere unquam queat,
Facere. COR. Verum est, sed præterita reprehendi magè quam corrigi
Possunt; & quod factum, quod gestum est, infectum fieri nequit,
Rerum natura prohibente. NEST. Quid ergò designasti mali?
COR. *Hei hei prorsus pudet pigetq; crimen omne prodere*
Argentum omne à parentibus missum, confregi turpiter,
Multo me obstrinxi ære alieno, dies noctesq; singulas
Sepelivi cum jocis, cum chartis, cum fritillo, & poculis.
Omnia dehinc feci quæ impatiens jusserit & imperaverit
Libido; insultavi Virginibus, & ! sed hoc pudor vetat;
Effregi civium fores, atq; ipsos ad mortem dedi.
Hinc illud exilium, hinc illæ sunt curæ, hinc illæ lacrumæ;
NEST. *Placet quòd crimina tua commemorasti, & deploras modo,*
Displicet, in tot dehonestamenta te quod præcipitaverís, unde haut immerito ab omni exterminatus es Scholastico
Cœtu; Nam multitudo semper succrescit peccantium
Quando remittendi peccati spes datur; & ubi ignoscentium
Venialis gratia est, ibi itur ad culpas facillimè:
Sed quoniam proprium Principum est venias peccantibus

Largi-

Largiri liberales; & concessiones mittere
Gratuitas lapsibus humanis, cum Magn. Rectore agam
Ut impetres, quòd tibi cupis, tu deinceps vitam corrige,
Esto, memor, quòd ingratt ac infelices casus tui
Tibi disciplina extiterint. COR. Habeo ô princeps clementißime
Tibi æviternas gratias; O Sors quàm puncto temporis
Mutaris! Nunc nunc teneo, quòd Piscator primum ictus sapit.

ACTUS QUINTI
SCENA QUINTA.

FRIDERICUS, CORNELIUS, Senarij.

FR. Ita Dijs visum est, ut pœnæ maneant suos
Autores scelerum, aut intus supplicium luant;
Quo nil crudelius: Nec enim ullus Carnifex
In orbe inventus Conscientiâ acrior,
Quæ non sinit mentem malam quiescere,
Hoc ipsum te jam expertum Cornelî satis
Cognovi ex litteris Principis Illustrißimi
Nestoris, in quibus obtestatur, motus tuis
Precibus, ut recipiam te in Musæum ordinem;
Et quamquam leges hoc vetent, tuq; ipsus hâc
Indignus videare indulgentiâ; attamen
Eò tandem Collegas permovi meos,

Ut intercessioni pro te Principis
Dederint locum, tibiq; erat quod relliquum
Exilij tempus, singuli remiserint;
Verum istac lege, ut Creditoribus statim
Argentum quod debes dinumeres, & mihi
Porrectis manibus, heic meliora spondeas.
COR. *Magnifice Domine Rector, ego primum omnium*
Deo omnipotenti laudes ago lætus lubens,
Quod is me castigarit, ut Patientiam
Didicerim, Tum vero illustrissimo Duci,
Tibiq;, adeoq; tuis Collegis singulis
Et grates gratiasq; habeo ter maximas,
Quòd me in Studentum numerum iterum adsciveritis;
Pol! posthâc tibi quæ potero & quæ voles
Faciam; nec committam, ut rursum insimuler ab hine
Alicujus facinoris mali. FR. *Hoc faxit Deus;*
COR. *O me felicem cui tam prosperè omnia*
Hodiè evenerunt. Equidem vix apud me sum,
Præ gaudio atq; tam repentino bono;
Sed ubi Harpax est? ubi Creditores reli qui?
Ibo intrò ad eos, ut dinumerem pecuniam:
Vos nunc Valete Spectatores optimi,
Et si vobis nostri Cornelij placet
Fortuna; oro plausum date huic Comœdiæ.

D. FRI-

D. FRIDERICUS WIDEBRAMUS

In Iniquos Censores.

QVisquis in officio es, miser atq; afflictus Agaso es,
Agmina Censorum qui nova semper habes;
Hic culpaverit hoc, alius culpaverit illud,
Peccas, seu ducas sive geras Asinum,
Ne tamen impatiens cedas à tramite recti,
Conatus cunctis velle placere, cave.
Nemo unquam placuit, nemo placet omnibus unquam:
Nemo satisfecit, nemo satisfaciet.
Si te vana premit Censorum turba, nec ullà
Iudicijs hominum parte placere potes,
Ipse placere tibi studeas benè conscius, & cum
Displiceas mundo, disce placere Deo.
Conscia propositi recti mens optima testis,
Omne Deó superat judice lœta malum.

M. ALBERTI WICHGREVI
Hamburgi

SATURA
IN
VETULLAM,

Ex cujus nomine per Anagrammatiſmum

AH VITULI MATER,

Conſecrata

Viris clariſſimis

DN. MARTINO MARSTALLERO
&
DN. JOANNI VOLCMARO.

Anno æræ Chriſtianæ
1699.

Viri clariſſimi.

SIC nunc fit, Livor, ut Ariſtonymus dicebat, veluti flagitioſus imperator, arma convertit in cives bonos & innoxios: Et qui excellere aliqua in re conantur ſtatim adflat & adurit

adurit indignationis illa aura. Sed ô felix, qui ad tempus, Candidatus Patientiæ, humanis didicit ignoscere lapsibus, & impudentiæ cœcitatem veniali donare concessione. Ad tempus, dico, ad tempus! Morus enim mihi ille, quisquis sit, qui nimium studet oblivionem inducere injuriæ, & à sensu penitus offensionis abscedere. Scio quid præcipiat Altissimus: at hic ipse non vetuit, honestum nomen defendere, bonam famam tueri, Spartam quam nactus, ornare.

Scilicet hoc virtutis opus.

Quòd ergo V. Cl. in VETULLAM meam (cuius in me excusatio nullo mansuetudinis & Charitatis Spiritu tincta, sed atro virulentiæ sale perfusa, ac venenatis maledicentiæ aculeis fuit infesta) hanc SATURAM scribere ausus fuerim, spero, hoc ipsum comprobabitis. Idque eò lubentius, quòd non omnes (absit) sed unicam tantum illam meam VETULLAM calamo meo depinxerim, perstrinxerim. De reliquis enim melius sentio, quarum multæ pietatem amant, colunt æquitatem, veritatem amplectuntur. Hanc autem SATURAM, vobis, V. Cl. consecratam volo, vel eâ potissimum de causâ, quod ex viro-juvene doctiss. amicorum meorum facilè optumo, Dn. THEODORO PLONNIES,

qui nunc-nuper vobis adfuit, intellexerim, vos mihi ex animo favere, unde benivolentiæ veſtræ radios mihi elicere diſcupio, rogans enixè, ut ſi forteàn mea VETULLA me è ſua Repub. ejicere conetur, mihi ad veſtrum clypeum pateat aditus. Accipite igitur eam, quâ polletis humanitate, & cum à veſtris adminiſtrationibus dabitur ocij locus, perluſtrate, meq; amate. Roſtochij, Anno 99. 20. IXbris.

Albertus VVichgrevius.

SATU-

SATURA
IN VETULLAM

ex cujus nomine per Anagrammatismum

AH VITULI MATER.

QVid cum WICHGREVIO tibi bestia fœda VETULLA?
Quæ vitulos, vaccas, taurosq́, bovesq́, suesq́
Pascere debebas, & nostros mulcere vates.
Quid me corrigere atq́ alios vis? corrige quæso
Teq́ tuasq́ sues, vastit quas pondere venteris
Nescio quo prægnans quondam genitore tulisti.
O mihi fœcundâ liceat modo dicere Musâ!
Omnia queîs præsens fœtet hoîc modo crimina mundus
Vel tantum unica anus quantum nocet omnibus, illa
Illa, inquam, inprimis, quæ nectaris ebria potu,
Me, intassum, nuper mordaci dente petivit.
Virtus nunc vitium est, scelus est res regia, fraude
Conciliatur honos, nullum inter fasq́ nefasq́
Discrimen, dives vel re, vel nomine dives
Laudatur, pauper contemnitur, ingenio, arte,
Et calamo quamvis ostendat semina mentis

Egregiæ? Si quis genialia tempora Vates
Pauper in urbe parum curâ exercere remotâ,
Atq; aliorum hominum conatur discere mores,
Nulla hîc libertas, sordent jura omnia vatum,
Exit & in famum fœcunda licentia vatum.
Ah deplorandum meritò Divûm genus, in quod
Nunc etiam à Vetula clamatur sæpe, suprema
Esse putes Paullum nobis è sede remissum,
Amplius haut vati, torvâ prohibente VETULLA,
Discendum, Quid agant venti, quæ flamina mittat
Æolus, in Sylvis cantu mirabilis ales
Ante alias, quantas effingat gutture voces,
Et quî Christum in agro, subq; æthera laudet Alauda;
Amplius haut Vatis, suetas relinquere sedes
Templi, ubi Mysta docet sacri sua dogmata libri,
Nec licet, ut volupe est, aliena invisere fana,
Discere quæq; inter sanctos Concordia fratres,
Atq; ex majori majores carpere motus.
Amplius haut vatis, tædas decorare jugales
Alterius, Musâ, vel consecrare sereno
Ingenio & Genio; nec enim convivia parca,
(Qualiter Eudoxus quondam præbebat amicis,)
Civibus, aut claro Musarum porgere alumno.
Hæc ubi patraris laudanda proœmia mentis
Nobilis, & longæ vates præludia vitæ,
Protinùs è numero senior rabiente VETULLA
Gingivas spoliata, oculis rugisq; verenda
Prorumpit lecto, & viduata sedilia pandens,
Omnia vel VVobichæ, vel nunciat ista Talichæ;

Hinc

Hinc juvat in vatem mordaces spargere voces.
Fit Leno, sit Scurra vagus, Grallator, Agyrtæ,
Lurca vorax, gaudens alienis vivere poclis,
Qui studeat virides annos fraudare juventæ.
Et sibi commissos petulans corrumpere natos:
Quoq; magè incautas posit movisse Sorores,
Nunc tremulas dextras scit cancellare, retortum
Inclinare Caput, transversa tuentibus hircis.
Nunc plenas rauco diducit gutture fauces,
Solaq; commiscet Cælumq; Salumq; Solumq;
Omnia frendens, omnia sternens, omnia perdens.
Impunè ergò mihi spiraverit illa tot auras
Quando mens & lingua jubent? nunquamne reponam
Traductus toties diræ dulcedine linguæ?
Agricolæ nulli nota est magè villa, VETULLA
Quam mihi sunt mores, perjuria, jurgia, lites,
Et quæ vix centum recitem mendacia libris.
Scis quoties (quamvis hara scit tibi carior arâ)
AH VITVLI MATER, magni sub tegmine Fovæ,
Oris cum crepitu postici & murmure linguæ,
Publica divini turbasti verba ministri,
Inq; pudorem omnem vicinas fœda dedisti.
Nuper eram in templo, sacra jura audire paratus,
Hujus ad obscenæ perpulcra sedilia Scrophæ
Cum me traxissent præter spem fata misellum.
Mira canam, sed vera, inibi vix Presbiter orsus,
Lumina terribili rotat hæc cum more VETULLA, &
Versus humum spectans, ingenti grande tonitru
Spirat odoris opus, cujus fragor ilicet omnes

Excitat è somno famulas, horroreq; turbat,
Et gravis innumeros fœtor templo ejicit ipso.
Dicito nunc mecum cui casca paræmia nota,
Jupiter inferni quo non habitacula figit,
Illic invenias putrem diramq; VETULLAM.
Audisne hæc quæso? Stygij patris ornamentum,
Audisne? an dormis? tremulis an fortè labellis
In vacuas mammas spurcâ stillante salivâ
Intritum calidum sorbillas tristis ad antrum
Vulcani? Sed nos Cives non credimus illa.
Nimirum tenet hoc; falso hinc sub nomine mendax
Hujus simplicitas, fallaxq; modestia vultus,
Et simulatus amor, vos in sua retia ducit,
Transversumq; rapit, quo non exire potestas.
Garrula nam multum est, inconstans, vana, bilinguis,
Atq; in ea pietas Crocodili, astucia Hyenæ;
Ne cives, ne vos, queîs est fors uxor honesta,
Et pulcra, in licito gaudens concumbere lecto,
Ultra Cassinum fugere hinc juvet, atq; propinquam
Varmundam, uxori Vetula hæc cito garrit in aurem
Cuiq; suæ, simul & per conscia sidera jure-
Jurando affirmat, certè mirabile dictu,
Se Pyramanthiâ, & speculo didicisse, maritum
Nunc hanc, nunc illam manibus volvisse puellam.
Vos quoq; matronæ; quæ vincula sancta pudoris
Servatis, deinceps longùm exivisse cavete,
Si modo sint cari dentes, oculiq; caputq;:
Hoccine, ait, bone vir; permittis semper habere,
Imperium uxori? hâc, cedo, libertate fruisci

Hanc

Hanc decet? æternum ô cunctis plorande marite!
Quin age si quid cordis habes, fustemq; columq;
Arripe, & illius tremulas buccasq; nasesq;

Tun	*tun*	*tun*	*tun*	*tun*	*tun*
de,	*de,*	*de,*	*de,*	*de,*	*de*
re	*re*	*re*	*re*	*re*	

Scilicet his technis mentes effascinat æquas
Ut multâ quæstum ratione secuta, caducas
Cogat opes, unde ad crassam sibi dolia fecem
Scrutetur, qua post pascat Vitulosq; Suesq;:
Nulla ferè causa est, quam non subvertere tentat
Fraus genij VETULÆ, *magiciq; potentia cantus,*
Omnia scit quæ intrà muros agitantur & extra.
Vis juvenis tremulos nostros invisere patres,
Vis juvenis sanctas nostras invisere matres,
Vis juvenis fidos nostros invisere fratres,
Vis juvenis lætos nostros invisere natos,
Vis juvenis pulcras nostras invisere natas,
Hortator tibi sum, prius appellasse VETULLAM
Te juvet, & veniam nostræ impetrasse VETULLÆ
Sic poteris verè tu filius esse VETULLÆ.
Namq; habet illa domi, sex crasso corpore natas,
Quarum, quæ facie vinosâ, TRULLULALULLAM
Connubio jugent firmo tibi, duriter omnes
Ut tecum insucto sub carcere transigat annos,
Hanc tu si madidus vino contempseris unquam,
Continuò totam furiosi more per urbem

Discur-

Discurrit! (subitò ira animos exercet aniles)
Atq; uno centum spirat mendacia folle,
Quî modò Doctoris, modo qui sine fine Magistri,
Nunc Mercatoris, nunc consulis atq; supremi
Judicis in tota natam traduxeris urbe.
Perge decus Ditis, Furiarum perge Voluptas,
Quæ tibi sive Charon, seu trux suggesserit ira,
Omnia conari, & quæ scribere vix sit honestum.
Sic tibi nocte ferent pulcras tua somnia formas,
Sic tibi pacificè veniet post funera vita.
Sed quid ego? quid ago? labor est meus omnis inanis,
Si coner precibus mentem flexisse VETULLÆ!
Dira suum nunquam deponit Vipera Virus,
Ipse suos Tygris mores non exuit atros,
Ursa vorax, avidus Vultur manet, & Lea sæva,
Quid mirum ergò manet si scæva VETULLA
VETULLA?

VALEAT CUM PACE
IN PICE.

ERRA-

ERRATA.

Fol. 2. f. 1- l. 17. autoribus, lege, fautoribus. fol. 4. f. 1. l. 16. ſummus, lege, ſummis. fol. 5. f. 2. l. 3. cnr, lege, cur. Ibid. l. 26. ur, pro, ut. fol. 6. f. 2. l. 20. eguerint, lege, emerint. fol. 7. f. 2. l. 9. vena, dele. litt. A. fol. 1. f. 2 l. 11. profeſſore, s, pro, profeſſores. fol. 5. f. 2 l. 17. habe, pro, habet. Ibid. l. 18. uttrumq;, pro, utrumq;. fol. 10. l. 8. ſemel, pro, ſimul, fol. 12. l. 19. aſtuciæ, pro, aſtuciâ. fol. 16. C. 6. pone B. 5. fol. 20. l. 26. ad, pro, at, f. 22. l. 21. liberam, pro, liberum. litt. C. f. 24. l. nlt. fieri: pro, fieri. f. 25. l. 16. meum, pro, mecum. Ibid. l. 18. nunc, pro, num. f. 32. l. 19. ego, pro, ergo. f. 34. l. 16. ſuccenſeas, pro, ſuccenſeas. f. 35. l. 21. præſtolor, pro, præſtoler. f. 36. l. 23 feri, pro, fert. litt. D. f. 44. l. 3. ſed, lege, ſed exitum. f. 50. l. 20. requirit, pro, requirit. lit. E. f. 57. l. 5. eſt, pro, &. litt. F. f 73. l. 13. duodecim, pro, duodecem. Ibid. l. 14. decem, pro, decim. f. 78. l. 21. Lubentia, pro, Lubentiæ. f. 80 l. 9. wiedr / pro, wieder. Ibid. l. 16. gſchwindt / pro, geſchwindt. f. 83. l. 7. Hui! ſi me nunc,

RO STOCHII

Prælo Reusneriano.

Sumptibus LAURENTII ALBERTI,
civis ac Bibliopolæ Lubecensis,
Anno 1602.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757649904/phys_0130
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757649904/phys_0133
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn757649904/phys_0134
DFG

Hanc decet? æternum ô cunctis plo
Quin age si quid cordis habes, fuste
Arripe, & illius tremulas buccasq
Tun tun tun tun
de, de, de, de,
re re re
Scilicet his technis mentes effascinat
Ut multâ quæstum ratione secuta, ca
Cogat opes, unde ad crassam sibi dol
Scrutetur, qua post pascat Vitulosq
Nulla ferè causa est, quam non sub
Fraus genij VETULÆ, magic
Omnia scit quæ intra muros agitant
Vis juvenis tremulos nostros invisere
Vis juvenis sanctas nostras invisere m
Vis juvenis fidos nostros invisere frat
Vis juvenis lætos nostros invisere nat
Vis juvenis pulcras nostras invisere n
Hortator tibi sum, prius appellasse V
Te juvet, & veniam nostræ impetra
Sic poteris verè tu filius esse VETU
Namq habet illa domi, sex crasso co
Quarum, quæ facie vinosâ, TRU
Connubio jugent firmo tibi, duriter
Ut tecum insucto sub carcere transig
Hanc tu si madidus vino contempser
Continuò totam furiosi more per urb

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757649904/phys_0135
DFG